BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 I
10

C 66 f

12
19
7
18

POLYBI,
DE DIÆTA SALVBRI, SIVE DE VICTV
Priuatorum, libellus,

Ex Græco tranſlatus, & breuibus ſcholijs illuſtratus, per Ioannem Placotomum Murſtadium.

Item

Doctrina, de tuenda ſanitate, & Diſputationes quædam Scholaſticæ & Philoſophicæ, Eiuſdem.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ANTVERPIAE

Apud Martini Nutij Viduam ſub Ciconijs Anno M. D. LXI.

Cum Gratia & Priuilegio ad quadriennium.

MAGNIFICO ET GENEROSO

Domino Franciſco à Seliſlau, Capitaneo Riſeburgenſi, &c. Ioannes Placotomus S. D.

QVàm turpis, & homine Chriſtiano indigna ſit ingratitudo, vel hinc cōſtat, quòd vulgo iactatur, cuncta vitia dixeris, ſi ingratum hominem dixeris. Neque verò ſolis ipſis ingratis, verùm & multis alijs, vnius ſæpè ingratitudo noxia eſt. Boni ſiquidē etiam viri, & erga alios benefici, vbi nullum ad ſe fructum redire intelligunt, ad benefaciendū languidiores redduntur; & cum Poëta dicunt,

Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benignè eſt.

Cùm igitur Magnifice D. Franciſce & me, & totam familiam meam, multis affeceris beneficijs, ne ingratitudinis notam incurra-

mus cauendum eſt, non noſtra ſo- lum (quãquàm ea potiſſimùm) ve- rùm etiã aliorum cauſſa. Tu enim ſingularis literatorũ patronus es, tua domus quaſi Muſòdochium quoddam harum eſt terrarum: ne- mo à te excluditur, nemo non hu maniter excipitur, nemo non be- neficio afficitur, & quod maius eſt, etiam te abſente tuæ literatis fores patẽt. Quod cùm ego præ- cipuè expertus ſim, decet me quo- que in primis, quocunq; modo poſ ſim, id teſtatum facere. Diu autem cogitaui quonam pacto id potiſſi- mùm fieret, verùm nihil hactenus inueni. Nihil enim habeo, quo ac- cepta abs te beneficia, ſatis de- clarare, multò minùs compenſare queam. Verùm quod nec ego, nec alij preſtare poſſumus, Deus ipſe omnium benefactorũ largiſſimus compenſator, abunde retribuet, qui ideo alios alijs magis opibus abundare voluit, non vt ſplendidè viuant, luxuq; diffluant, ſicut ille diues in Euangelio, ſed vt fontes

ipſorum

ipſorum in proximi commodũ fo=
ras deriuentur. Interim tamẽ qua=
lemcunque ſignificationem gratæ
mentis, tibi exhibere volui, idq́;
publicé, cùm & merita in me tua
pleriſq; nota ſint. Quare cùm li-
bellum Polybi de victu priuato-
rum à me latinitate donatum, &
ſcholijs illuſtratum in publicum
emittere decreuiſſem, tuo potiſſi=
mum nomini eum dicandum, con=
ſecrandumq́; cenſui, à quo etiam
atque etiam maiorem in modum,
peto, vt nõ tam munuſculi qualiſ-
cũq; pretium à gratiſſimo pecto=
re profectũ; quàm animi mei pro=
penſionem ſpectare, eamq́; æqui
boniq́; pro ſua ſingulari humani=
tate conſulere velit. Salſa enim,
vt ille inquit, mola litant, qui thu=
ra non habent. Bene Vale.
Dantiſci Calend. No=
uẽb. An. 1558.

DE DIÆTA SALVBRI, SIVE DE VICTV Priuatorum, Polybus,

Hic liber iudicio cùm aliorum multorum, tũ Galeni non eſt Hippocratis, ſed Polybi.

Quæſtio.

Quæritur, ſi non eſt Hipp. an dignus ſit qui legatur?

R. Galenus eum à præceptoribus ſuis & audiuit, & commentaria in eum ſcripta diligenter euoluit, & ſua quoq; ſuperioribus addidit, ergo lectione dign⁹ eſt. Neque diſcedit à doctrina Hipp. niſi raró admodũm. Non igitur vidẽdum, quis ſit auctor, ſed quale ſit opus, & nunquid à doctis probetur, vel reijciatur.

Idiotas hoc modo victus rationem inſtituere oportet.

Propoſitio. Hinc manifeſtum eſt hunc librum ad Idiotas pertinere, ideóq; rectè de victu Priuatorum inſcribi. Cæterùm Idiotæ nón ſimpliciter, ſed ad aliquid dicuntur, & habet varia ſignificata vox. Aliquando imperitum artis

ſignificat, vt primo de victu acu-
torum, aliquando aliud. Hoc verò
loco Idiotæ dicuntur priuati, qui
ſui iuris ſunt, ſibíque tantùm vi-
uunt, & opponuntur illis, qui vel
publicis, vel priuatis muneribus
funguntur, vitamque minime li-
beram degunt. Priusq̃ autē ad rē
accedamus, Hypotheſes quædam
cōſtituendę ſunt, quę præſentem
tractationē neceſſario præcedunt.

I. Non idē victus omnibus na-
turis conuenit, ſed diuerſus, prō-
pter tēperaturarū diuerſitatem.

II. Alia eſt temperatura Idiota-
rum, alia eorum, qui munere ali-
quo publico funguntur.

III. Idiotis igitur diuerſa à reli-
quis victus ratio conuenit.

QVI CIBVS, ET PO-
tus quoquo tempore anni conueniat.

DE HIEME.

*Hieme quidē quàm plurima co-
medere, bibere verò q̃ pauciſſima
oportet. potus eſſe debet vinū q̃
meraciſſimum. Cibi, panes, obſo-*

 nia,

nia, omnia aſſa. Hoc tẽpore olerib.) q̃ paucißimis vtendũ. Sic enim maximè corpus calidũ et ſiccũ erit.

Summa.

Hieme vtendum eſt victu calefaciente & exſiccante.

Hieme quidẽ q̃ plurima comedere, etc. Idẽ, 1. Aphor. 18. docet Hip. his vbis. Aeſtate, & autũno cibos difficillimè ferũt, hieme facillimè ſecundũ locũ ver habet. Intelligendũ enim eſt plurimũm reſpectu aliarũ anni partium. Ventres enim hieme, & vere natura calidiſſimi & ſomni lõgiſſimi ſũt. Quare per ea tẽpora alimẽta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tũc calor innatus plurimus eſt, vnde & plurimis egent alimentis. Indicio ſunt ætates, & athletæ. Hipp. Calent autẽ ventriculi animãtiũ hiberno tempore propter ambiens frigus, calorem natiuum prohibẽs difflari, eumq̃ue in vnum cogens. Hiemis tẽperatura frigida et humida eſt.

Bibere verò q̃ pauciſſima) Reſiccare enim corpora oportet, non humectare. Sed hieme opus eſſe videtur largiore potũ, tũ propter

cibi

cibi, cuius vehiculum eſſe à Medicis dicitur, copiam, tum propter alimentorum reliquorum qualitatem. Siquidem aſſa elixis aridiora ſunt, & minùs facilè ex vẽtriculo per anguſtas meſenterij venas in reliquum corpus diducuntur. Ad quam obiectionem ita reſponderi poteſt. Sicut hieme plurimùm comedendum eſt, ita minimùm bibẽdũ, reſpectu aliarũ anni partiũ, nõ alimentorum quæ aſſumũtur.

Potus ſit vinum meraciſſimũ) Hactenus de quãtitate alimentorum dixit, quę reſpondere ſemper debet calori innato, nunc de qualitate, quæ ad temperaturam corporis attemperanda eſt, agit. Vinum meraciſſimum autem, eſt calidiſſimum pariter, ac plurimi nutrimenti. Quæ dę vino traduntur nos ad cereuiſias, & mulſas accõmodare oportet. Bibatur igitur hieme cereuiſia, vel mulſa pleniſſima. At noſtri homines eas ad ęſtatem aſſeruant, id fit, quia tenues facilè corrumpuntur, atque in acetum degerant. Quare vt quimus, quando vt volumus non licet.

Cibi panis) Cibi genus eſt ad

nem, & mazam.

Aſſa omnia) Nam calefaciũt & exiccant, vt Medici tradunt, quan quam Ariſtoteles contrarium ſentit. Verùm vtra melior ſit ſententia, aliâs à me deciſum eſt.

Oleribus) ſcili. frigidis: quædã enim calefaciẽdi vires habent, quę hoc tẽpore non prohibentur. Sed olera apud nos præter braſſicam, haud temerè hieme reperiũtur.

Sic enim maximè) Cauſſa quare huiuſmodi victu ſit vtendum: videlicet, vt corpus reſiſtere frigori, & humiditati hibernæ poſſit. Hîc magna, & grauis de qualitate victus quæſtio oritur: videlicet vtrum ſanis ſimilis, vel contrarius victus competat. Quod autem ægrotis ſimpliciter cõtrarius (quod ad ipſum morbum attinet) ſit adhibendus primùm, vulgatiſſimũ medicinæ principium, Contraria contrarijs curantur, in genere indicat. Deinde Hipp. 6. Epid. in ſpecie idem confirmat, vbi ſcribit cõtrarius in morbo victus. Quare de ægrotantium victus qualitate nõ eſt controuerſia: verùm cur ſanis aliquando ſimilia, vt pueris humi-

da,

da, aliquando contraria, vt mulieribus ſicca ab auctoribus præſcribantur, inquiſitione dignum, & ſcitu perquàm neceſſarium eſt. Si ſanitatis temperatura moderata eſt, & ſine vitio: vt conſeruetur ſimilibus, non contrarijs oportet. Si verò vitium aliquod habet, id eſt, ſi excedit terminos conuenientes, vel non attingit, id quod deeſt vel ſuperat, contrarijs corrigere oportet. Docet igitur in hoc loco, & ſequentibus exceſſus, qui vel tẽpore anni, vel alia occaſione accidunt, contrarijs aut prohibere ne fiãt, vel ne factæ in morboſas tẽperaturas excreſcant. Eſt igitur magis prophylactica reſpectu futurarũ correctiua eorũ, quæ fiunt, aut facta ſunt. Simul autem dũ id quod exceſſu moleſtat prohibetur, ſanitas conſeruatur. Siquidẽ victus à mediocritate ſanitatis, non longius recedere debet, quàm ipſa intemperies receſſit. Vt autẽ hęc ad inſtitutũ applicentur, reſtat alia quęſtio, priori nõ minùs vtilis, facilior tamẽ. An hieme corpora ſint humidiora & frigidiora iuſto, id eſt, an excedant ſuos ter-

minos hę qualitates, cùm ſuprà diximus ex Hipp. Ventres hieme eſſe calidiſs? Reſp. Hieme propter aêris quàm aſſiduè ſpiramus frigidam & humidam intẽperiẽ, Corpora fieri frigidiora & humidiora, & augeri cognatũ huic temperaturæ humorem dubium non eſt, teſte Hipp. de natura humida, qui ita ſcribit. Hieme creſcit in homine pituita, quòd ipſa præcipuè ex omnib' quę in corpore ſunt natura ſua eo tẽpore frigidiſſima: & paulò poſt addit ꝓbationẽ. Quod autẽ hiẽs corpus pituita impleat, tibi patebit, cùm ex ſputo & muco, ac pituita naſi, quæ hieme ſupra modũ fluentia emungũtur, tũ verò ex cæteris morbis pituitoſis, pręſertimq; tumorib', qui præcipuè eo tempore, maximè albicãt. Porrò cùm dicit. Ventres eſſe calidiſſimos hieme: id non intelligendũ de toto corpore, ſed de ea maximè parte, in qua organa coctionis & nutritionis continentur.

DE VERE.

Ineunte vere copioſiore & dilutiore potu vtendũ, et paulatim: cibi

imolliores, & pauciores aſſu
di: auferẽdus panis & maza ap
ıẽda. Eadẽ ratione obſonia quo
ro aßis cocta exhibẽda. Oleri
q; paucis tũc vtẽdũ, donec æ
tem homo attingat. Cibi omnes
liores eſſe debent, & obſonia
ta. Olera cruda pariter & co
: potus dilutiſſimi, & plurimi,
ne magna mutatio fiat ſubitò
nti,.

De veris temperatura variant
torum ſententiæ, Aliæ n. id ca
ini & humidum eſſe tradunt,
os, Galenus lib. 1. de temperatu
edarguit, & id temperatum eſ
robat. Alimentis igitur tempe
oribus vtendum.

neunte vere) Variat craſis, ve
n principio eſt frigidior & hu
lior, in fine calidior, & ſiccior,
pter præcedentia & ſequentia
npora. Ideo dicit vere ineunte
ioſiore & dilutiore potu vten
n, quàm hieme.

ɛt paulatim) Neque enim natu
ert ſubitas mutationes.

Molliores) humidiores, vel e
n liquidiores.

Pauciores) quàm hieme, non collatione aliorum temporum. Ideo Hipp. in Aphoriſ. dicit, Secũ dum locum ver habet.

Maza) Maza quid ſit non ſatis perſpicuè oſtẽdi poteſt. Nam hoc genus edulij, quòd ſcio apud nos in vſu non eſt, & nomen ipſum pa riter cum re ignoratur. Vt autem ad noſtra rem accommodemus eſ culenta, ſciendum vere laxioribus & mollioribus panibus, ſicut hie me denſioribus ſolidioribuſque vtendum.

Eadem ratione obſonia) mollio ra & pauciora.

Donec æſtatem homo attingat) in poſtrema veris parte.

Ne magna mutatio fiat) Subitæ enim mutationes, quia periculoſæ ſemper ſunt cauendæ, Quod au tem paulatim fit, tutum eſt, tum alias, tum cum ab altero ad alterũ tranſitus fit. Hipp.

DE AESTATE.

Aeſtate autem molli maza vtẽ dum, & potu aquoſo & multo, obſonijs omnibus coctis, & ſic his, quando æſtas eſt, vti oportet,

corpus frigidũ & molle ſit. Ea
im tempus calidum & ſiccum
& corpora æſtuoſa ſqualida-
Talibus igitur rebus iuuare cõ-
it. Eadem ratione quemadmo-
ex hieme in ver, ita ex vere
ſtatem deducere, minuendo ci
, & augendo potum, atq; hoc
o contraria facere, deducen-
x æſtate in hiemem.

Summa.

ſtate frigidior & humidior vi-
conuenit.
tu aquoſo & multo) vt corpus
nectetur, & quaſi rigetur.
nim tempus calidum & ſiccũ
Temperamentum æſtatis.
corpus frigidum & molle ſit)
ſa cur talem victũ præcipiat.
rpora æſtuoſa ſqualidaq; red
Aeſtas, quia eſt vehementer
a & ſicca, reddit corpora iuſ-
lidiora & ſicciora, & bilioſum
orẽ auget. Corporũ n. tempe
a cæli conſtitutionẽ ſequitur.
olle) humidum.

DE AVTVMNO.

Autumno rurſus cibos plures
& ſic-

& ſicciores præbere oportet, & obſonia eadem ratione. Potus autem pauciores & meraciores, vt etiam hiems bona ſit & homo meraciori potu, ſed pauco vtatur, & cibis quã plurimis & ſicciſſimis, ſic enim valebit rectiſſime, & minime frigebit. Tempus ſiquidẽ valde frigidum & humidum eſt.

Autumni Temperamẽtũ Gal. ſiccum & inæquale eſſe docet.

Sicciores) Cur ſicciores, cùm & autumnus ſiccius ſit? Reſpondeo, quàm eſtate. Aeſtas enim illo ſiccior exiſtit.

Vt hiems bona ſit) Bona hiems dicitur, vbi tẽperamẽtum aëris reſpondet appellationi.

Appendix.

Hæc igitur omnia intelligenda ſunt de conſtantibus temporibus, quando tempeſtiuè tẽpeſtiua redduntur, vt Hipp. 3. Apho. loquitur id eſt quãdo partes anni ſuã temperaturam poſſidẽt. Nam nõ appellationes, ſed craſes inſpicere oportet Medicum. Cùm igitur variant tẽpora, & alienas qualitates habent, variare oportet & alimẽta iuxta rationes

tiones commemoratas.

DE HABITV
Corporum.

Habitibus autē carnoſis, valdè mollibus & rubicundis magna ex parte anni victu ſicciore vti expedit. Taliũ enim natura humida eſt.

Victus variat pro temperamentorum corporũ varietate quę per habitus deſcribuntur.

Habitibus carnoſis valde mollibus & rubicũdis) humidis naturis σημειωτικῶς ſigna pro ſignato.

Magna ex parte) Nam æſtate nõ admodum ſiccis alimentis opus eſt, cùm aër ſatis corpora exiccet.

Victu ſicciore) ad conſumendã & prohibendam immodicam humiditatem. Idem Hipp. 7. Aph. 60 docet, Corporibus carnes habentibus humidas famem adhibere conuenit: fames enim corpora exiccat.

Humida) immodicè.

Duros, & graciles, & flauos, & nigros, plurimo tēpore humidiore victu vti cõuenit. Hæc ſiquidem corpora ſicca exiſtunt.

Duros,

Duros,graciles,id eſt ſiccos.

Victu humidiore) Contrario-rum enim eſt eadem ratio.

Appendix.

De calida & frigida tem-peratura.

Dictum eſt de humidis & ſiccis naturis,quę per habitus deſcribũ-tur,quid de calidis & frigidis ſentiendum? Hipp.paucis id docet. In calida,inquiens,natura,refrigeratio,aquæ potio, quies. Hinc de frigidis contrariè ſtatuendum.

DE AETATIBVS

Iunioribus corporibus vti confert humidioribus & mollioribus diætis.Nam ea ætas ſicca eſt, & corpora compacta. Seniores verò,plurimo tempore, ſicciore victu vtantur.Corpora enim in eiuſmodi ætate humida, mollia & frigida ſunt.

Quatuor ſunt ætates,quæ vt variant temperatura , ita & victum diuerſum exigunt.Verùm auctor duarum tantum meminit. Pueri ſunt calidi & humidi:iuuenes calidi & ſicci.Inter hos ſunt adoleſcẽtes temperati,quorũ tẽperaturã,ſimi

milibus conſeruari non alterare contrarijs oportet. Tertia ætas frigida, ſicca. Senes frigidi, & per accidens humidi. Nam ſolidæ corporis partes ſicciores ſunt.

Quoniam vero calor natiuus debilis eſt, multũ pituitoſorum excrementorum generatur atque colligitur ex mala coctione. Hinc ſenes humidi etiam dicuntur. Pueris igitur præter calidum victũ humidus etiam conuenit, vt ex Hipp. manifeſtum eſt. Nã corpora eorũ vt extendi poſſint, humida eſſe oportet.

Nam hæc ætas ſicca eſt) Ergo prohibendũ ne immodicè & præproperè exiccetur, atque immatura ſenecta conficiatur.

Et corpora compacta ſunt) Id eſt, iuſtam magnitudinem roburque habent, ideoque non neceſſe eſt, vt dilatationis ſiue extenſionis cauſſa quemadmodum præcedente ætate fit, tali victu vtatur. Qui victus ſequenti conueniat ætati ex præcedentibus & ſequentibus facilè colligi poteſt. Prohibendum enim ne ante tempus ſeneſcat, quod calidis & humidis perficitur.

Senio

Seniores verò, plurimo tempore, ſicciore victu vtãtur) Hic locus aliquid vitij habere videtur. Senibus enim calidũ & humidũ victũ, quod ad ipſorũ propriã temperaturã pertinet, ex vſu eſſe cùm Galen. tùm reliqui omnes Medici docẽt. Ita enim prohibetur ne citius debitò humidum radicale abſumatur, & ante tempus vita extinguatur. Verùm quomodò aliena humiditas exiccanda & expurganda ſit, non eſt huius loci referre.

Plurimo tempore ſicciore victu vtantur) Non enim omnes ſenes humidi ſunt, ſed quidam tantùm per accidens.

Oportet igitur ad ætatem, tẽpus anni, & corporum habitus victum attemperare, contraria exhibendo conſtitutionibus & caloribus & frigoribus: ita enim maxime valebunt.

Epilog⁹ primi loci de victu, indicatione ſumpta à tẽpore anni, habitibus corporũ, & ætatibus.

Appendix.

De victus quantitate.

Suprà de qualitate pariter ac

quan-

quantitate dixit, hîc ſolùm qualitatis meminit. Quare nos alterũ nõ minus illo neceſſariá adijciemus. Quantum pueris & ſenibus ſit ſumendum, Hipp. breuiſſime oſtendit hoc Aph. Quæ creſcunt plurimum calidi innati habent, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus abſumitur : ſenibus vero parum calidi innati ineſt, paucis proptereà fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Eſt autem pueris opus copioſiore alimento, non tantùm, quòd natiuo calore abundent, ſed etiam propter augmentum. Neceſſe ſiquidẽ eſt, plus aſſumere quàm defluxit, ſi incrementum fieri debet. Ex his non difficilè eſt de medijs ætatibus iudicare. Vbi enim corpus iuſtam magnitudinem adeptum eſt, quantitatem ſolo calore innato eſtimare oportet.

DE EXERCITIIS

Hieme celeriter ambulare oportet, æſtate autem lentè, niſi per æſtus iter faciendum ſit.

Celeriter) Velox enim ambulatio calefacit & exiccat.

Lentè) ne incendatur corpus.

Niſi per æſtus) tùm enim prope rare oportet, ne diu in Sole commorari neceſſe ſit. Radij enim Solares eò vehemētiùs calefaciūt, quò magis aſſiduè vnū locū cōtingūt, Ad hæc velociùs ambulādo ſubinde aura aliqua percipitur.

Oportet autē & carnoſos quidem celerius ambulare, graciles vero tardius.

Carnoſos) Id eſt humidos, vt ſup.

Celeriùs ambulare) vt humiditas ſuperflua calore exiccetur, cōſumaturque

Graciles verò tardiùs) ne immodicè calefiant.

DE BALNEIS

Aeſtate multis balneis vtendū, hieme verò paucis. Oportet autem graciles magis lauare quàm carnoſis.

Aeſtate multis balneis) ſcilicet aquæ dulcis, quæ calida & fuliginoſa excrementa corporis per cutem euacuat, humectat, & ſomnum conciliat.

Hieme paucis) Tunc enim tātū ad purgādā cutē opus eſt balneis.

Gra

Gracilesoportet magislauare) propter humectationem.

Quàmcarnoſos) Niſiieiuno ſtomacho ingrediantur, Ita enim ex ſiccatur corpus. Cōfert etiā corpu lentís balneum aquarum medicatarum,& frigida lotio, quæ gracili bus valde inimica eſt. Nam τὸ ψυχρὸς λίπτω χρωτὶ πολεμιώτατον vt Euripid. quoq; teſtatur quod de om ni re frigida extrinſecus occurſan te verum eſt,

DE VESTIBVS.

Induere autem oportet hieme quidem veſtes mundas, æſtate vero oleo tinctas.

Mundas) quoniam calefaciunt magis immundis,& ſordidis.

Oleo tinctas) Olei vſus in veſtitu ingratus& in noſtris terris pror ſus alienus eſt. Licet tamen pro oleo quocūque veſtes roſacea aqua, aut ſimili conſpergere, quod vt ad refrigerandum corpus, ita ad confortandum ſpiritus vitales, plurimum momenti habet vel roſas, vi olas, & ſimilia veſtibus apponere in loco vbi couſeruantur.

QVO-

QVOMODO CRASſa corpora extenuanda, & gracilia incraſſanda, id eſt, ad mediocritatem reducenda ſint.

Craſſos, qui extenuari volunt, oportet omnes labores ieiunos ſubire & adhuc anhelantes, nec dũ refrigeratos cibos aſſumere, & priùs vinum dilutum bibere, ſed non valde frigidum. Obſonia præparare oportet ſeſamis, & cõdimentis dulcibus, alijsq́; huiuſmodi. Sint & pinguia obſonia, quæ exhibentur: ſic enim pauciſſimis bellarijs ſaturabuntur. Semel in die cibũ capiãt, à balneo abſtineãt, duriter cubẽt, & nudi ambulẽt, quoad ei⁹ fieri poteſt. Graciles verò, qui fieri cupiũt craßiores, & reliqua prædictis cõtraria faciãt, & ieiuni nullũ laborẽ ſubeant.

Quare attenuationem craſſorũ, & in craſſationem tenuiũ corporũ ad mediocritatis reductionem interpreter, hæc eſt cauſſa. Vtrũq; enim extremũ & vitioſum eſt. Nõ autem ab vno extremorũ ad aliud

tran

tráſitus fieri ſolet, ſed circa mediũ ſubſiſtere oportet. Eſt igitur craſſi corporis extenuatio iuſtæ quantitatis acquiſitio, & è contra.

Craſſos qui extenuari) Craſſitudo duplex eſt, alia cognata, alia aduentitia, ex otio & crapula contracta: vtraque vitio non caret, itaq; corrigenda maximè natiua: hæc enim eſt præmaturæ mortis cauſſa, vt Hipp. hoc Aphoriſ. teſtatur. Qui natura admodum craſſi ſunt, citiùs intereũt, quàm qui graciles.

Oportet labores ieiunos ſubire) Talis enim exercitatio valde exiccat & attenuat corpora. Sed hîc obijci poteſt dictum Hipp. Labores cibos antecedant, idque commune de exercitijs preceptum eſt. Non igitur ad obeſos ſolùm referendũ. Ad quã obiectionem ita reſpondeo, aliud eſſe ante cibum laborare, aliud ieiunũ laborare, quẽadmodũ in illo Aphoriſmo, Vbi fames, non laborandum.

Adhuc anhelãtes) ita citò ſatiãtur.

Priùs vinũ dilutũ bibere) Quod parum nutrit, citò tranſit.

Non valde frigidũ) actũ ſcilicet, ne ſubita alteratione partes nutritĩ

uæ, maximeq́; vẽtriculus offendatur, Frigus ſiquidẽ neruoſis membris infeſtũ eſt, maximè repẽtinũ.

Semel) vel potiùs parũ vna vice, Gal. Sicut enim corporis moles cõſeruatur, quãdo nutrimẽtũ fluori ſubſtantię quantitate reſpõdet: ita neceſſe eſt eam minui, cùm plus effluit, quàm in locũ amiſſi ſuccedit.

A balneo abſtineant) id eſt, aquę dulcis. Cæterùm balnea, quæ in aëre calido fiunt, vel affuſa aqua, candentibus ferramentis, ſcorijs metallorum, aut ſilicibus conueniunt; multò magis naturalia, quę vehementem exiccandi, atque calefaciẽdi vim habẽt, ſalutaria ſunt.

Nudi ambulent) Nuda ambulatio diuerſa ratione extenuat. Hieme enim calor natiuus ab externo frigore introrſum cõpellitur, quare ſummæ partes parũ nutriũtur: æſtate verò, quia diſſoluitur, diſſipaturq́; ĩ aërẽ, incremẽtũ ꝓhibetur.

DE VOMITV ET CATACLYſMATIS. *Quo tẽpore, et quomodo corpora vomitu, aut cataclyſmatis euacuanda ſint.*

Vomitibus, et vẽtris cataclyſmatis

tis hoc pacto vti conuenit. Sex hi-bernis menſibus vomendũ, hoc ſi-quidẽ tẽpus æſtiuo pituitoſius eſt, et morbi capitis, eiusq́; partis quæ ſuprà ſæptũ eſt, fiũt. Quãdo autẽ calores fuerint, cataclyſmatis vtẽ oportet. Hoc enim tẽpus æſtuoſiũ eſt, & corpus bilioſius, et grauitates lumborũ & genuũ, atq́; calores fiũt, torminaq́; ventris accẽdũt. Itaq́; corpus refrigerare, & ſurſum tendentia deorſum ſubducere per hæc loca oportet.

Hîc locus cõmoda interpretatione opus habet, alioqui prorſus cũ Hipp. pugnabit, qui docet æſtate ſurſum magis purgandũ eſſe, hieme verò deorſum. Illo ſiquidem tempore bilioſus humor, qui ſurſum ſua natura tendit, in corporibus abundat: hoc verò, pituita, quæ ad inferiora ob grauitatem declinat, excellit. Oportet autem in purgando motũ materię ſequi, & eò ducere, quò ipſa tẽdit, niſi ad partes parũ idoneas id fiat: tum enim impetũ humoris retrahere, et reuellere, nõ ꝓmouere cõuenit.

Etſi autē æſtate bilis, hieme pitui-
ta in corporibus excellant, nō ſem
per tamen vniformiter mouētur.
Fieri enim poteſt, vt hæc in vétri-
culo colligatur, & per ſuperiora e-
uacuari cupiat: illa verò in inteſti-
nis confluat, & per illa potiùs, q̃ per
os euacuanda ſit. Conſtituendum
igitur primò hoc præceptum Po-
lybi, non eſſe generale, ſed ſpecia-
le, & ad pituitoſos potiùs: non ta-
men ſemper quàm ad omnes pro-
miſcuè pertinere. In priuatis nam-
que, quia nō multùm mouentur,
nō ita fundūtur humores ſemper,
quemadmodū in alijs. Neq; hic lo
quitur de purgationibus, ſed tan-
tùm de leuioribus vomitibus &
inteſtinorū ablutionibus: quare &
hic diuerſitas eſt. Secutus eſt Poly
bū Celſus, qui ita ſcribit. Vomitus
vtilior eſt hieme, quàm ęſtate. Nā
& tū pituitę plus, & capitis graui-
tas maior ſubeſt. Sed hæc parū ad
conciliādum conducunt. Aliâs v-
bi ex profeſſo de vomitu agit, ita
ſcribit. At vomitus vt in ſecunda
quoque valetudine ſæpè neceſſa-
rius bilioſis eſt, ſic etiā in his mor
bis quos bilis cōcitauit. Ex quibus

verbis haud obſcurè vomitū prin cipaliter bilioſi humoris euacuādi cauſſa expetendum eſſe concludi- tur. Galenus de ijs, quos purgare oportet, omnem ambiguitatem tollit. Ita autem ſcribit. Conuenit bilioſum humorē partibus vacua- re ſuperius, ſicut pituitoſum infe- rius, quanquā vice verſa ſit non- nunquàm faciendū, vbi vt in ven triculo pituitoſus humor, in inte- ſtinis verò bilioſus coaceruatur.

Hoc ſiquidem tempus æſtiuo pituitoſius eſt) Vt ſuprà quoque oſtēdimus: verùm hinc non ſequi- tur, propterea vomēdum eſſe, ſed tantùm euacuari corpus oporte- re. Verùm quomodo ſurſum ne an deorſum euacuandum, non ex ſpecie, ſed ex motu humoris ma- gis colligendum.

Et morbi capitis) Si pituita ad ſu- periora, pectus atque caput tēdit. Nā ſi alio mouetur, certè vomitus nō vtilis eſt. Conſiderare autē cō- uenit nū homo ad vomitū ſit ido- neus: quod ſinō eſt, certè ne tū vo- mere oportet. Sunt autē nō apti ad vomēdum, qui debile & anguſtū pectus habēt, & quib⁹ caput valde

infirmum eſt. Hæc omnia vt breuiſſimè, ita rectiſſimè Hipp. hoc Aphoriſ. pręmonuit. Quę ducere oportet, quò maximè natura vergit, eò ducenda, per loca cōferētia.

Tempus æſtuoſum) vbi cælum valde calidum fuerit.

Corpus bilioſius) Augetur bilis ęſtate. Cauſſa eſt nota. Nō tamē hinc ſequitur cataclyſmatis vtendum eſſe, ſed bilem euacuandam.

Et grauitates lumborum) ſi humor abundans vergit deorſum.

Torminaque ventris accidunt) ob acrimoniam bilis his conſonat 4. Apho. 20. cuius hęc ſunt verba. Non febricitantibus, ſi tormina acciderint, & genuum grauitas, et lumborū dolor, purgari inferius oportere ſignificatur.

Itaq; corpus refrigerare oportet) Hæc quidem vera ſunt. Immoderatè enim calida, refrigerare oportet. Sed nō video quomodo ad pręſentia quadrent, vbi de euacuatione tantū, nō de alteratione agitur.

Et ſurſum tendentia deorſum ſubducere per hæc loca) Neq; hîc locus obſcuritate caret. Nam præcedentibus nō commodè conne-

ſti poteſt, vbi de euacuationibus non reuulſionibus agitur. verùm ſi per ſe intelligatur, vel ſi additur particula quando, rectè dicitur, quæ ſurſum tendunt, ad inferiora reuocanda eſſe.

DE GENERIBVS, ET *materia Cataclyſmatum.*

Cataclyſmata ſint craßioribus & humidioribus ſalſiora & tenuiora: ſiccioribus autem, gracilioribusq́; , & debilioribus pinguiora craßioraq́;. Conſtant autem cataclyſmata pinguia et craſſa ex lacte & aqua decocta, ex ciceribus, alijsq́; ſimilibus, tenuia verò & ſalſa, ex muria, marina aqua, & ſimilibus.

Neque cataclyſmata, neque vomitus in victus ratione apud nos in vſu ſunt, & vtrumque genus euacuationum propemodũ ex toto deſijt. Sunt autem cataclyſmata ablutiones, quę per ſedem inſerũtur. Neque enim totum corpus euacuant, ſed tantũ quæ inteſtinis adhærent abluunt & abſtergunt.

Cataclyſmata ſint craſſioribus) Variant cataclyſmata nō tantùm ratione temporis, ſed etiam habitus corporis. Cęterùm ex hoc loco nō obſcurè colligi poteſt, vera eſſe, quę ſuprà retuli: nēpe, non vniuerſaliter intelligi debere, quæ de tempore euacuationum ſcribit. Nam hic nō tātùm bilioſis, ſed etiā pituitoſis cataclyſmata exhibet.

Salſiora & tenuiora) quę vim habent incidendi.

Pīguiora ac craſſiora) ſuperiorib⁹ cōtraria.

Cataclyſmata) Exēmpla. Quoniam verò nullus vſus cataclyſmatum amplius eſt. nolo in hoc loco immorari. Quidā loco harum ablutionum capiunt cereuiſiam largo butyrō cōnditam, quæ etſi aluum mollit, non tamen abſtergit, quæ inteſtinis adhærent. Bilioſis tamen, & quibus durior iuſtò aluus eſſe ſolet, non inutile auxilium eſt.

DE VOMITV.

Vomitus ſic oportet mouere. Quicūq; homines craßi ſunt vomāt ieiuni, currentes, aut iter facientes celeriter circa meridiem.

Sicut

Sicut inteſtina cataclyſmatis re-purgantur: ita vomitu ventricu-lus vitioſis humoribus euacua-tur, qui interdum neceſſarius eſt, bilioſis præſertim naturis.

Quicunq; homines craſſi ſunt) Quãdo ſit vomendũ, & quid antè vomitũ agẽdũ, ſiue quomodo hũ mor ad vomẽdũ reddatur idone⁹.

Ieiuni vomant) quare.

Currẽtes, aut iter faciẽtes celeri-ter) Vt calefacto corpore pituito-ſus humor fluidior, & ad euacua-tionem aptior reddatur. Cùm hoc loco pugnare videtur Hip. 4. A-phoriſ. 13. vbi præcipit vomituris quietem. Reſp. Ibi loquitur de præparatione corporum, quæ ad hoc genus euacuationis non ſunt apposita: hîc agitur de humoris pi tuitoſi pręparatione, qui cùm ſit natura craſſior, & ad motũ tardi-or, calore quaſi liquidior efficitur, ac diffunditur, atq;, vt euacuetur, habilior fit. Cùm verò motu parũ proficitur, adiungenda medica-menta ſunt, quæ vim attenuandi, & incidendi craſſa materiam ha-bẽt, cuiuſmodi nunc ſequuntur.

Sit autem media hemina hyſſopi in aquæ cōgio triti, quod ebibat affuſo aceto & adiecto ſale, vt iucundiſs. fiat.

Sit hyſſopi) Hyſſopus nota planta eſt, habet vim calefaciēdi & exiccandi, egregiè incidit et attenuat craſſos & viſcoſos humores.

Acetū affundens) Ita maiorem vim incidendi acquiret, alterá cauſſam ipſe addit. Sed neque ſal, neq; acetum ſuauiorem potionem reddunt: itaque ἡδύσου intelligo gratiſs. Quemadmodū & in illo, Aphor. Parū deterior cib⁹ & potus &c. Poſſunt autem ex alijs plantis variè parari potiones in hunc vſum, de quibus Medici cōſulendi.

DE MODO SVMENdi potionem.

Bibat primùm tardiùs, deinde verò celeriùs.

Bibat primū tardiùs) Vt vētricul⁹ minori moleſtia potionē aſſumere, & aſſumptum diutiùs retinere queat. Nā res inſuetæ affatim ingeſtę vētriculū mox ſubuertūt, et antequā materia præparetur, ad euacuandum ſua mole impellunt.

DE

DE VOMITV *gracilium.*

QVANDO GRACILIbus ſit vomendum, & quid, antequàm vomant, agendum.

Tenuiores & debiliores à cibo hoc modo vomitũ prouocent, loti calida præbibãt cotylã meri: deinde cibos omnis generis comedãt, nec bibãt inter edẽdũ, nec poſteà, ſed tãtiſper, dũ quatuor ſtadia cõficiãtur, expectẽt. Deinde *tria vina, auſterum, dulce, & acidum ſimul miſta bibere dentur, Primùm meracius, paulatim & diu: deinde aquoſiùs, celerius & multum.*

A cibo) tũ enim ſunt robuſtiores.

Loti calida) calido balneo corpus calefit, humores liquantur & vaſa laxantur, Gal.

Præbibant cotylam meri) quod idem præſtat ſuo calore, adhęc vires corroborat.

Omnis generis) varios. Nã varij, diſſimiles, & inæquales cibi inter ſe pugnant, tumultuãtur in ven=

triculo,& vt Hip. ait ſeditionē mo uēt, ideoq; diu ſimul commorari, aut i vno loco cõſiſtere nõ poſsũt.

Nec bibant inter edendum) ne cibi ſupernatent.

Nec poſteà) propter eãdem cauſſam. verùm quàm diu ſit expectãdum ipſe ſubiungit.

Dum quatuor ſtadia) Tempus moræ, vt videlicet corpus ante vomitum corroboretur.

Deinde tria vina) Quēadmodũ cibi, ita & potus varij eſſe debent.

Primùm meracius, & paulatim) vt probè admiſceantur præſumpto alimento.

Deinde aquoſius, celeri & multũ) vt cibus fluctuare in vētriculo incipiat; & ad vomitũ moueri.

QVOTIES VOMENDVM.

Qui bis in mēſe vomere cõſueuit, rectiùs deinceps id faciet biduo, quàm decimo quinto die. Quidã tamē omnino contrarium faciunt.

Qui cõſueuit) Cõſuetudo magnã vim habet in tota vict⁹ ratione, adeò vt longo tēpore cõſueta, deteriora etiã meliorib⁹ inſuetis min⁹

mo=

moleſta ſint. Hipp. Scribit igitur hic auctor indefinitè: neque enim probat, aut improbat morem toties vomendi, ſed modum confert tantùm.

Rectiùs id faciet biduo) vt ſequēti die reliquiæ prioris vomitus eijciantur, quod potiſſimùm, ſi materia craſſa fuerit, probamus. Nam quod pridiè motum quidem ſed non euacuatum eſt, poſtridie expellitur.

Quidam omnino contrarium faciunt) diuerſo potius, quàm continuo tempore vomunt: quod amara bile abundantibus, non alienum eſt.

QVIBVS VOMITVS *mouendus, quibus non.*

Qui apti ſunt ad cibos reuomēdos, aut qui aluum nō peruiam habent, his omnino cōfert crebro in die cōmedere, & omnis generis cibis, & obſonijs varijs modis paratis vti, & vina duplicia, aut triplicia bibere: qui verò cibos nō reuomūt, & aluos humidas habent, his

cōtraria dictis oïb⁹ facere expedit.

Hic locus obſcurus eſt, poteſt tamen ex collatione intelligi. Eſt igitur ſumma: qui facilè vomunt, aut aluum aſtrictam habēt, ijs quę ad mouendū vomitū idonea ſunt, exhibeantur, contrarijs cōtraria.

Qui facilè cibos reuomūt) quos in Aphoriſ. Hipp. vocat εὐημέας qui autem ſint tales, experientia potiùs cognoſcēdum, quàm rationibus colligēdum. Quiſque enim nouit vtrum ex facili, an magno negotio vomat.

Aluum non peruiam) Hi nō cōmodè deorſum purgantur, cùm aluum expeditam eſſe ad eiuſmodi purgationes oporteat.

Vina duplicia, aut triplicia) diuerſa & varia non numero, ſed viribus, cauſſæ omnium ſunt dictæ.

Qui cibos non reuomunt) quos δυσημέας Hipp. nominat.

Sanis) Alij legunt, humidis, vtraque lectio non eſt mala, ſi bene accipiatur: quæ enim ſana alu⁹ eſt, non dura aut aſtricta eſt quāquam humida, quàm ſana potius legiſſe videtur, Gale.

DB

DE VICTV INfantium.

Pueros infantes longo tempore aqua calida lauare oportet, illiſq; dare bibere vinum aquoſum, & non omnino frigidum. Tale autem dandum, quod ventrem minimè eleuat, aut flatum gignit. Hæc verò facienda, ne cõuulſionibus corripiãtur, & vt maiores coloratioreſq; euadant.

Ratio educãdi & nutriẽdi pueros vocatur παιδοτροφική. Hæc eſt fundamentũ totius diætæ per omnem vitam. Nam ſi quid hîc neglectum, aut perperam actum eſt, deinde non abſque ſumma moleſtia, & periculo maximo correctionem admittit, imò interdum omnino emendari non poteſt.

Infantes longo tempore aqua calidá lauare oportet) Quidam infantes recens æditos frigida immergũt aqua, quæ cõſuetudo prorſus eſt aliena & periculoſa, & Schytica poti⁹, quã Germania: fit enim concurſus extremorum. Si enim frigidi aëris contactu offenduntur

(plorant

(plorãt enim non minimè hãc ob cauſſam venientes in hanc lucẽ) nõ dubium eſt, quin etiam lædantur aqua frigida: quare merito eiuſmodi mos à Medicis damnatur. Calido verò gaudent & delectantur. Calidum ſiquidem naturę amicũ, frigus aduerſum. Intelligitur autẽ hîc quoque balneum aquæ dulcis, quod humectat, non, vt aliæ, exiccat.

Illisque dare bibere vinum) Cũ hoc loco pugnare videtur Ariſt. qui non ſolùm pueris, ſed etiã ipſis nutricibus vinũ dari prohibet: nihil namq; referre putat, ſiue nutrices, ſiue pueri id bibant. Sed facilis eſt Reſponſio. Nam non niſi vinũ aquoſum pueris auctor præberi vult Ariſt. de validis vinis intelligendus eſt, quæ caput tentant, replẽt, & morbũ caducũ procreant. Aquoſum verò, & tenue vinum facilè in corp' digeritur, nec moleſtiam, niſi immodicè ſumatur, cerebro affert. De cereuiſijs idẽ intelligendũ. Sunt tamen nutrices, quas propter lactis penuriã pleniores & craſſiores cereuiſias bibere neceſſitas cogit, quòd ſi modicè faciũt nõ

mprobo. Oſtēdi enim, in tractatu
le cereuiſijs, eas vino minùs cere-
ro & partibus neruoſis nocere.

Non omnino frigidum) actu ſci
icet vt ſupra dictum. Tale autem
landum eſt &c. quod non ſit fla-
uoſum, aut alioqui vitioſum.

Hec verò, Addit cauſſas, quare
alidus & humidus victus maxi-
nè pueris conueniat.

Ne conuulſione corripiantur)
nter reliquos morbos, quibus te-
era ætas puerilis expoſita eſt, eti
m conuulſio ab Hipp. 3. Aphoriſ
nde numeratur à Grecis παιδικὸν
νόσον cognaminatur, qui vt pue-
is familiariſ. ita periculoſiſs. Om-
ni igitur adhibita cura cauendum
ſt; ne eo corripiantur, quôd fit vic
u humectante.

Maiores euadant) vt corpus poſ
it augeri, & in omnes partes aptè
liſtendi, humidum ac molle ſit o-
portet. Sicca ſiquidem extenſioni
ninimè ſunt idonea.

Coloratiores) Vt boni humores
gignantur, vt bona nutritio fiat.
Hec enim omnia ad augmētū cor-
poris requirūtur: hinc enim ſequi-
tur coloris bonitas. Ponitur autē
effes

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

effectus ſiue ſignum pro cauſſis. Color ſiquidem oſtendit humorũ naturam, & coctio alimentorum qualis ſit.

DE SEXV.

Mulieres ſicciore victu vti oportet. Etenim ſicci cibi ad carniũ mollitiem accommodatiores, potusq; meratiores ad vteros & fetus alendos meliores ſunt.

Hic locus cum præcedente pugnare videtur, Ibi enim humida humidis conducere, hîc verò contraria humidis conferre docet. Quod autẽ temperatura mulierũ humida ſit, nemo philoſophiæ perit⁹ ignorat. Cum igitur hæc craſis ſit ſecũdum naturam, & que naturaliter ſe habent, ſeruanda non alteranda ſint, mulieribus humida poti⁹ quã ſicca conuenire videntur. Id quod verum eſſe non negamus, quando illud temperamẽtũ intra ſuos quaſi fines ſeſe continet. Cum autẽ eos excedit, quod priuatam vitam agẽtibus mulieribus vſu venire propter exercitia neglecta, & alimenta humidiora videmus, exceſſui occurrendum, & quod ſuperat, de-

mendũm. Cæterũ ex his, quæ dic-
tæ ruſticis mulieribus, aut peregri
nationibus operam dantibus con-
ueniant, haud facilè eſt iudicare.
Cum enim propter aëris ſiccitatē
& labores ac motus frequentiores
non facilè ſuperfluam humiditatē
colligant, nihil hîc ablato opus eſt,
ſed tãtũ, quod adeſt, tueri oportet.
Verũ de ijs hoc loco non agitur.
De viris eſt idem iudicium: nẽpe,
quando tẽperamẽtũ eorũ ſecũdũ
naturam eſt ſimilia exigere, ſi verò
excedit debitam menſuram cõtra-
rijs exceſſus corrigatur.

Ad carniũ mollitiẽ accõmodati
ores) Cauſſam addit, nam ſicca ali
mẽtá mollitiem, humiditatẽq; car
nium præter naturalem exiccant.

Potuſque meraciores) Hic e-
nim tum ſicciores ſunt, tum copio
ſius alimentum præbent. Opus
autem eſt grauidis pluri nutrimẽ-
to ad duo corpora alenda, quã alijs
mulieribus. Quare aut plura bibẽ
da, aut meraciora, quod magis pro
bo. Fortaſſe & hæc aliquis ſuperio
ribus contraria eſſe putabit. Nam
ſupra pueris dilutum potũ conceſ
ſit, hic meraciorem nutriẽdi fetus
gratia

gracia mulieres aſſumere iubet. Sed ſciēdum aliud eſſe meracioré, aliud merum & plenum potū. De inde certè nō nihil refert, vterum infans crudum, aut priùs à matre percoctum potum aſſumat, vtrū immediate ipſe ſumat, an ſanguine vel lacte ex potu factis fruatur. Nam etſi non inficiamur, tum ſanguinem, tum lac pabuli naturam referre, tamen debiliora eſſe illa omnia cenſemus. Ceterùm vt ſupra dixi, in cereuiſijs minus, quam vino, periculi eſt.

DE EXERCITIIS IVXta anni partes, &c.

Exercitatos oportet hieme tū currere, tum luctari: æſtate verò luctari quidē parū, currere nequaquā, ābulare autē per frigida loca.

Hæc fuiſſent ſuprà, anteq̄ exercitia iuxta habitus corporis præſcriberentur tradēda. Verū in hoc doctrine genere non ita multùm refert, quo quid loco dicatur, mòdò non omittatur. Eſſe auté exercitia corporis nō ſecus, ac ipſa alimēta, priuatam preſertim vitā degentibus ad ſanitatem neceſſaria, ex eſ-

fectibus patet. Augent enim calo=
rem natiuum, alimenti in corpus
digeſtionem adiuuát, exiguos me
atus expurgant, & excreméta ex=
pellunt. Varia autem exercitiorũ
genera veteribus in vſu fuerunt,
quę nos ignoramus. Eligat igitur
nunc quiſque exercitia ſibi accom
modata, & à ſua vocatione non a=
iena, quòd factu haud difficile eſt,
cognitis his præceptis, quorũ ſum
na eſt. Hieme vehemẽtiorib⁹ exer
citijs, æſtate vero leuiorib⁹ vtẽdũ.
Exercitatos) qui certis exerci=
ijs in gimnaſijs operam dant.
Hieme tũ currere, tum luctari)
t inſitus calor excitetur, atque in
niuerſum corpus diffundatur.
Currere nequaquam) Non om
ia, ſed vehemẽtiora exercitia pro
ibet, nec otium probat. Nunquã
nim quiſquã ab omnimoda deſi
ia adiutus eſt, Gale.
Per frigida loca) Ne calor nimi=
m diſſipetur, diſſoluaturque.

QVOMODO CORRI=
enda ſint accidentia, quę exerci=
tia ſequuntur, & primum
de laßitudine.

Qui=

Quicunque ex curſibus laſſitudinem ſentiunt, eos luctari oportet: qui verò luctando fatigantur, hos currere expedit. Sic enim laborans defeſſo corpore calefit, & maximè quieſcit.

Summa.

Defatigationem mitigat mutatio exercitij. Idem Celſus ſcribit, leuatque laſſitudinem etiam laboris mutatio. Verũ Hipp. diuerſum docet 2. Aphor. 48. hoc modo ſcribens. In omni corporis motu, quãdo cœperit defatigari, quies ſtatim laſſitudinem tollit. Sed Hipp. loquitur de curatione laſſitudinis: Polybus vero de leuamine, & quaſi recreatione. In alijs autem exercitijs alij muſculi mouentur: mutatis igitur laboribus muſculi, qui prius mouebãtur, nunc non nihil quieſcũt. Ex hoc loco ſolui poteſt problema illud: quare difficiliꝰ ſit diu ſtare, quàm incedere: & quare moleſtiùs ſit immotis pedibus ſtare, quàm quãdo alternis mouẽtur.

Vtile eſt præceptũ, nõ ſolùm ad laſſitudinem tollẽdã, ſed etiam ad diu-

diuturnos labores tã animi, quàm corporis perferẽdos, quod ex Celſo citaui. Nihil enĩ tã moleſtiã, tædiũq; tollit laborẽ & viriũ diſſolutionẽ ꝓhibet, quã laboris variatio. Igitur inuicẽ modò legendũ, modò ſcribẽdũ, modò meditãdũ eſt.

DE ALVI PROFLVuio, & cruditate curanda.

Quibuſcũq; dũ exercẽtur alui profluuiũ accidit, & excremẽta cibos referũt incoctaq; ſunt, hos vt minimum certam partem exercitij omittere, & dimidiũ deducere oportet. Manifeſtum namque quod ventriculus ingeſti cibi copiam concalefacere non poßit. Cibus his panis quàm optime aſſatus, & vino intritus, potius quam paucißi. & meracißi. à cibo deambulationibus non vtantur. Semel autem eo tempore cibus in die capiendus. Nam hoc pacto potißime ventriculus concaleſcit, & ingeſta vincet. Accidit autem eiuſmodi alui profluuium maxime corporibus denſas carnes

haben=

habentibus, cum carne veſci cogũtur; tali exiſtunt natura. Venæ enim denſatæ ingeſtos cibos non admittunt. Eſt autem natura talis acuta; & in vtrãque partem vertitur, & bona habitudo huiuſmodi corporibus exiguo tempore viget. Rariores autẽ naturæ, ac hirſutiores & carnium vſum & labores magis admittunt. Itemq; boni habitus, illis durabiliores ſunt.

Manifeſtum eſt, quòd ventriculus ingeſti cibi copiam concalefacere non poſſit) Id eſt, ſatietatem eſſe ad vires (vt Medici loquuntur) vbi enim cibus præter naturã plus ingeſtus fuerit, morbũ facit Hip. Nam ventriculus non poteſt calefacere, & concoquere copioſius iuſto alimentum.

Cibus his papis) Qualis debeat eſſe cibus.

A cibo deambulationibus non vtantur) ne agitatione cibus ante tempus exire cogatur.

Ingeſta vincit) Id eſt cõcoquit. Ita Hipp. quoque loqui ſolet vt 6. Epid. Cibi alij cito, alij tarde vincuntur,

ıntur, pro concoquuntur.

Accidit autem) Qui huic malo otiſſimùm obnoxij ſint.

Eſt autem natura talis acuta) ὀξεῖα. dem hoc loco quod .1. Aphor. vt i Hip. ſcribit ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς ſignifiare opinor, nempe lubricum, præcps, inſtabile, quod ex ſequētibus tiam aliquo modo colligitur.

Et hirſutiores) Hirſuties eſt ſignum raritatis, quemadmodum c Hippo.5. Apho.60. teſtatur his erbis. indicio autem pilus. Sicut utem hirſuties raritatem, ita raritas caliditatem ſignificat.

CVRATIO CRVDITA *tis ob frigiditatem, & imbecillitatem ventriculi.*

Quicunque poſtridie cibos eructant, & precordia eleuata habent, propterea quòd cibi incocti ſunt, hos longiore tempore ſomno indulgere, corpora alio exercitio cogere; vinum & meracius & largius bibere, cibis paucioribus vti hoc tempore oportet. Manifeſtum ſiquidē quòd ob debilitatem & frigiditatem ven-

inuere, vinũq; aquoſũ, & quàm rigidiſsimum bibere.

Qui ſibi corripiuntur) Id eſt propter exercitia.

Vinum aquoſum) quod præter quã quod humectat etiã cõfortat.

Quã frigid.) actu ſcilicet: vt ſupra.

CVRATIO TENSIO- nis viſcerũ, id eſt lienis, et hepatis.

Quibus dolores ex viſceribus, ſiue exercitijs, ſiue ex alio quopiam labore oriuntur, hos quieſcere ieiunos cõducit, potu verò qui pauciſs. in corpus aſſumptus, pluriмam ducat vrinam, vt venæ, quæ in viſceribus ſunt, non diſtendantur repletæ. Ex his enim tubercula, & febres fiunt,

Quibus dolores) id eſt tẽſiones.

Ab exercitijs) intempeſtiuis, quod eſt nondũ coctione facta aſſumpti cibi. Rapitur enim alimentum crudum adhuc, & in corpus digeritur, vnde obſtructiones viſcerum, quæ grauitates, & tenſionis ſenſum pariunt.

Quieſcere ieiunos) Dolor enim ex repletione factus eſt.

Hic.locus ſuſpectus, & nothus eſte videtur. Neque enim in hoc libro de morbis curandis agitur, ſed tantùm de accidentibus quibuſdam, quæ errores in victu commiſſos ſequuntur: quare in eo explicando, ſuparuacaneum eſt operam ſumere.

FINIS.

CVm adhuc aliquid ſpatij reſtaret, ne quid vacuũ relinqueretur, nõ alienum eſſe duxi, generalem de victu doctrinam, nõ tam vt chartæ explerentur, quàm vt res ipſa dilucidior fieret, ſummatim ſubiungere. Nam nihil eſt ferè quod magis ad perſpicuitatem, quàm generis & ſpeciei collatio, faciat. Quanquam antẽ generalia præcepta ordine doctrinæ ſpecialia præcedãt: in ſcribendo tamen id ſeruari non ſemper, neceſſe eſt. Quòd ſi quid in hac re peccatum eſt, veniam mihi candide lector dabis.

Vale.

CON-

CONCLVSIONES

quædā generales, cōtinentes præcepta de ratione victus, nō priuatorū, ſed omnium in genere ſtatuum.

I. Cùm corpus humanum varijs mutationibus obnoxium ſit, neque eandem conſtitutionem ſemper ſeruet, ſequitur quòd auxilijs quibuſdam egeat, nō vt ſit immortale, quemadmodum quidam Sophiſta impudenter profeſſus eſt, ſed ne præproperè ſeneſcat, interea atque, & vt iuſtum vitæ curſum citra moleſtiam corporis tranſigat.

II. Auxilia illa ὑγιεινὴ continet, quæ & tempore & dignitate curatiua prior eſt. Ideoque prius tradenda atque diſcenda, ad quā corporū notitia neceſſariò requiritur.

III. Conſiſtit autem hygiene, ſiue victus ratio in aſſumendis, faciendis, educendis & extrinſecus incidentibus, ſeu, quod clarius eſt in aëre, ijs quæ aſſumuntur, ijs quæ excernuntur, motu & quiete, ſomno & vigilia, & animi affectibus.

IIII. His auxilijs is demùm re-

ctè vti ſciet, qui naturales eorum facultates perſpectas habuerit.
V. Veluti quod motus, inopia alimẽti, vigilia, excretio, & omnes affectus animi exiccant, & quæ his contraria exiſtunt, humectant.
VI. Ita & calefacientia, & refrigerantia vitæ inſtituta ac ciborum & potionum, denique omnium, quæ corpori afferũtur vires ſi quis nouerit, rectè cauſſarum ſalubrium materia vtetur.
VII. Quoniam verò ſanitas latitudinem habet (differt enim alia ab alia, ſicut albedo ab albedine) certum eſt non omnibus ſanis eandem victus rationem congruere.
VIII. In hoc tamen conueniũt, quòd ſanis, quorum temperaturã tueri ſtudemus, ſimilis non cõtrarius victus ſit adhibendus.
IX. Optima igitur, & temperata natura temperatis gaudet, & cõſeruatur.
X. Similiter, & quæ ab optima conſtitutione, ſiue natura, ſiue ætate, ſiue vitæ genere diſcedunt, & iuculpatam tamẽ valetudinem habent, ſimilibus delectantur & con-

ſeruan-

ſeruantur: vt calidiora calidiorem, frigidiora frigidioré, (& ſic de reliquis ſimplicibus, compoſitisq; naturis ſtatuendum) victū exigunt.

XI. Idem Hipp. ſentit, cùm pueris, & conſuetis, humidos maximè victus conuenire ſcribit.

XII. Si verò permutare craſim atque ad meliorem temperaturam transferre libet, id contrarijs, nō ſimilib⁹ peragēdū. Calidiora ſiquidē corpora à calidioribus cauſis ad æqualitatē reduci nequaq̄ poſſūt.

XIII. Verum talē mutationem, nō niſi qui ſuæ ſpōtis, nec vllis certis publicè priuatimque negotiis impediti ſunt, rectè tentant.

XIIII. Eodem modò & exceſſus temperamentorum, qui adhuc intra ſanitatis latitudinem cōtinētūr, contrarijs coërcere, atque retundere, & ne in morbos increſcant, prohibere oportet.

XV. In hanc ſententiam Polybus de ſalubri dieta ſcribit, mulieribus victum ſicciorem conferre, quæ cùm natura ſint humida, priuato vitæ genere humidiores iuſtò efficiuntur.

XVI. Non tamen contraria

auxilia longiùs á victu ſanorum, quàm ipſe exceſſus intemperaturæ corporis recedere debent.
xvii. Ita enim exceſſus exceſſu corrigitur, & ſimul quòd reliquū & ſecundū naturam eſt ſimilib. ſuauiter fruitur, atque conſeruatur.
xviii. Quare cùm ſanitas ſecundum naturam ſit, & quod ſic eſt, non mutationem, ſed conſeruationem ſui poſtulat, rectè in genere dicitur, ſanitatē ſimilibus cōſeruari.
xix. Sunt preter qualitatē ordo, & quantitas conſideranda auxiliorum, quæ corporibus conſeruandi gratia adhibentur.
xx. Breuiſſimè, & veriſſimè vtrumque Hipp. his verbis complexus eſt labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia mediocria.
xxi. Terminus autem quantitatis eſt, vt calor innatus, in quo vita conſiſtit, neque propter penuriam alimēti reſoluatur, neque propter copiam opprimatur, extinguaturúe.
xxii. Id Hipp. ſignificare voluit his verbis, Qui creſcunt, plurimū habent calidi innati. plurimo igitur indigent alimento, alioqui corpus

pus abſumitur. Senes parum calidi natiui habent, paucis igitur fomitibus egent, à multis enim extinguuntur.

xxiii. Et alio Aphoriſmo. Ventres hieme & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi. Quare ijs temporibus aliméta copioſiora ſunt exhibenda.

xxiiii. Quare vt alimentorum qualitatem temperaturæ corporũ attemperare, ita quantitatem eorũdem natiui caloris quantitate æſtimare & metiri oportet.

IOANNIS PLACOTOMI MVR-STADII DE TVEN-*da ſanitate*, Doctrina.

C 7

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

HONESTIS, ET PRVDENTIBVS VIris, Conſulibus, Senatoribus, & reliquis ciuitatis Borgk gubernatoribus Iohannes Placotomus, ſiue Bredtſchneider.

S. D.

SVperiori æſtate fui in arce Alſleben, vbi præter opinionem in doctum & honeſtum virum Iohannem Balkauu incidi, ex quo, inter cætera, cùm de ſtatu Reipublicæ veſtræ interrogarem, magnam his annis, quibus abſui, in illa mutationem in melius eſſe factam, ac lõgè aliam, quàm cùm ego diſcederem faciem nunc veſtræ vrbis eſſe, honeſti, & prudentes viri, intellexi. Vos iam non contemnẽdam Scholam inſtituiſſe, in qua non ſolùm liberi veſtri ad pieta-

tem

tem, honeſtatemq́; educentur: verùm etiam non pauci peregrini ſcholaſtici foueantur. adhæc filios veſtros prouectiores in Academijs incœpta ſtudiorum curricula abſoluere: alios verò peregrè proficiſci, vt multorum hominũ vrbes, & mores videant. Quæ omnia auditu mihi longè iucundiſſima fuerunt. Nam non minus vrbi veſtræ, quàm meæ patriæ ex animo bene cupio, ac plurimùm debere me fateor. Principiò enim nos peregrinos, & ignotos amãter recepiſtis, plurima in parẽtes, totamq́; familiam noſtram beneficia contuliſtis, pleriq́; ex Senatoribus non ſecus nobis, ac cognatis ſuis familiares fuerunt. Pro quibus omnibus beneficijs, vtinã gratias vobis referre poſſemus. Cùm verò ſe nulla referendi occaſio huc uſque obtulerit, aut nunc offerat; ne acceptorum beneficiorum immemores prorſus eſſe videamur, ego quod poſſum præſtabo, & animi mei gratificandi inclina-

nationem aliquo publico ſcripto teſtatum faciam. Cùm Iſlebiæ in vxoris meæ patria commorarer, conatus ſum mea etiam qualicunque opera ſtudia iuuentutis, quæ ibi egregiè florent, iuuare, atque promouere. Hoc *nomine ſcriptum de tuenda ſanitate eo ordine, qui diſcētibus maximè idoneus videbatur, vt præter pietatem, & bonas artes, etiam valetudinis curandæ doctrinæ rudimenta addiſcerent, dictaui, quòd cùm alijs quoque literarum ſtudioſis, præcipuè veſtris* Scholaſticis *non dubitarem profuturum, in publicum edere veſtri honoris gratia volui. Quare maiorem in modum à vobis, honeſti, & prudentes viri, peto, vt hoc munuſculum amico animo accipiatis, & pro veſtro candore boni conſulatis. Si quod aliud gratitudinis ergò in poſterum exhibere potero, faciam id animo promptiſsimo. Quod reliquum eſt, patrem* Domini *noſtri Ieſu Chriſti, precor vt conatus*

in gubernando veſtros ad ſui nominis gloriam, & totius ciuitatis ſalutem clementer gubernet, atque fortunet. Vale. Dantiſci Nonis Martij Anno 1559.

DOCTRINA DE SANITATE TVenda breuiter & ſummatim in gratiã ſtudioſorum literarum compreshenſa.

PRAEFATIO.

INter alias virtutes, quæ maximè decent literarum ſtudioſos, non minima eſt temperantia, quæ in victus obſeruatione conſiſtit, & non ſolùm cõſtat modò, ſed etiam qualitate, & ordine rerum earum, quæ ad vitam ſuſtentãdam neceſſariæ ſunt. Cùm enim Deus ſanitatem certis quibuſdam quaſi limitibus concluſerit,

ſerit, & concentu qualitatum, membrorumq́; inter ſeſe apta cō-nexione, & mutua officiorum exhibitione deuinxerit, voluit etiā certa quadam ratione harmoniā iſtam foueri, & conſeruari. Primùm, vt quiſq; ſuæ vocationi abſque impedimento ad gloriam Dei, & vtilitatem Eccleſiæ, atq; Reipublicæ ſeruire poßit: deinde, vt pro tanto dono, quod Ethnici quidam ἄριστον *appellauerunt, aſſiduè Deo gratias agat. Neq; verò leue peccatum eſt valetudinis neglectio, multo magis temeraria corruptio.*

Ieſus Siracida præcipit, & delectum agendum eſſe ciborum, & in ingerendo modum ſeruandum. Idem quintum Decalogi præceptum requirere videtur. Nam nō manu ſolum, verùm etiam crapula corpora necantur. Et verè dictū eſt, plures crapula perire, quàm gladio. Ad ſextum præceptum temperantiam præcipere non dubium eſt, cùm crapula faces libidi-

bidinum accendantur. Quod autem quidam dicunt, Medicè viuere, miſerrime eſſe viuere: ij longè falluntur. Medicè enim viuere, quid aliud eſt, quàm in rebus valetudini neceſſarijs debitam menſuram, ac ordinem obſeruare, adeò, vt medicè idem, quod moderatè, ſiue rectè, intelligi debeat? Sunt qui ciborum delectum tantùm ad ægrotos pertinere autumant, quaſi ſanis omnia liceant, & vt ipſi malè Apoſtoli dictum detorquent, Sanis omnia ſana, ægrotis verò oleribus veſcendum, id eſt, iuxta Medicorum præſcripta viuendum ſit. Sunt rurſus alij, his omnibus lõgè deteriores, qui præcepta eiuſmodi de ſanitate ſimpliciter, tanquã ſuperſtitioſa, contẽnũt, & cuiq; ſuo fato, non culpa intẽperãtiæ morbos accidere, vitãq; vel abbreuiari, vel propagari contendunt. Non ſuperſtitioſa eſt temporis, et mẽſuræ rerũ neceſſariarũ in gubernãda ſanitate obſer

uatio, & alimentorum diſtinctio. Non enim prægrauant conſcientiam. Verùm Chriſtiani, qui in cæleſti doctrina mediocriter verſati, & veris ſententijs confirmati ſunt, non ignorant, quòd Deus velit omnes valetudinem ſuam curare: maximè verò literarum ſtudioſos, quos nihil æquè decet, atque iuuat ac in victu tēperantia, vt quod ſtudij ratio detrahit, cura & diligentia in victu compenſetur. Hāc ob cauſſam Doctrinam tuendæ ſanitatis breuiter, et ordine in gratiam ſtudioſorum bonarum artium complecti viſum eſt, vt pulcerrimum donum Dei, ſanitatem admirari, & religioſè tueri diſcant.

Thes

THEMATHA.

Quòd doctrina de Sanitate tuenda ſtudioſis literarū valde vtilis, & neceſſaria ſit, & in quibus rebus ſanitatis tutela conſiſtat.

I. Ad ſtudia rectè excolēda integris viribus, & firma valetudine, quam doctrina de ſanitate tuēda promittit, opus eſt.

II. Vires autem conſeruantur rerum ad ſanitatem neceſſariarum legitimo vſu, ad quem notitia ſui corporis, & communium præceptorum de valetudine tuenda, & alimentorum condimentorumq; facultatibus requiritur.

III. Notitiam ſui corporis ex generali doctrina de conſtitutione hominis quiſque æſtimare poteſt.

IIII. Partes corporis ſunt, membra, humores, & ſpiritus: quæ cōtinentia, contenta, & impellentia Hippocrati dicuntur.

V. Ab his actiones per facultates membris inſitas ſpiritibus mediantibus proficiſcuntur à ſanis ſanæ, à læſis læſæ.

VI. Res ad ſanitatem tuendam

neceſſariæ ſunt; aër, cibus, potus, excrementorũ expulſio, ſomnus, & vigilia, motus & quies, animi affectus.

VII. Legitim⁹ vſus in iuſta qualitate, quãtitate, & tẽpeſtiua rerũ dictarum exhibitione conſiſtit.

VIII. Et ſicut corpora variant, quemadmodum Poëta quoque eleganter ſcripſit, Mille hominũ ſpecies, &c. ita & victus ratio variat, nec vna omnibus naturis, nec vni naturæ omnis victus promiſcuè conuenit.

IX. Id verum eſſe non tantùm ratio probat, ſed etiam ipſa experiẽtia, certiſſima rerum magiſtra, teſtatur.

X. Nam vbi corpus motum deſiderat, exercitatio ſalubris, otium autem inſalubre: cùm verò quiete eget, otium iuuat, exercitatio noxia eſt.

XI. Idem de cibis, & potibus, alijsque rebus ad victum neceſſarijs ſentiendum eſt.

XII. Hinc patet ſalubre & inſalubre non abſolutè, ſed ad aliquid dici, & ineptè aliquid, quemadmodum vulgus imperitũ ſolet, ſim-

pliciter ſalutare vel noxium pro-
nuntiari.
xiij. Tenere igitur diſcrimen re-
rum ad victum neceſſariarum, &
præcepta de vſu earum in genere
oportet.
xiiij. Ea deinde quiſque ad ſuam
naturam facilè accommodare, &
quid ſibi maximè ſalutare ſit iudi-
care diſcet.
xv. Quid autem cuique peculia-
riter competat, non ex libris petē-
dum, ſed quotidiano rerū vſu ex-
plorandum, & obſeruandum eſt.
xvi. Idem teſtatur Ieſus Siraci-
da cū ſcribit, mi fili, explora quid
corpori tuo ſit ſalubre, & vide, vt
ne quod noxiū eſt ei exhibeas. Nō
enim omnia omnibus conducūt.
xvii. Quod rectius faciet cōmu-
nibus præceptis inſtructus, & ad-
monitus.
xviij. Igitur doctrina de tuenda
ſanitate ſtudioſis literarum non ſo-
lum vtilis, verùm etiam ad conſer
uandas vires cognitu neceſſaria, et
nullo modo, vt quidam conten-
dunt, ſuperſtitioſa eſt.
xix. Summā totius victus Hip-
pocrates breuiſſimè cōplexus eſt
hoc

hoc dicto. Labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia mediocria. Quibus verbis & ordinē, & modum rerum ad victum præcipuè neceſſariarum comprehendit.

XX. Labor enim cibū antecedere debet, vt idem auctor docet, cibus potum, vterque ſomnum; atque in his omnibus modum ſeruare optimum eſt.

XXI. Vt enim ſanitas in mediocritate conſiſtit, ita mediocri rerū neceſſariarum vſu conſeruatur: ſimile enim ſimili gaudet, & conſeruatur.

XXII. Exceſſus verò dictarum rerum vitioſus eſt, & harmoniam qualitatum corporis, in quibus potiſſimùm ſanitas conſiſtit, turbat.

XXIII. Similiter vſus earum intempeſtiuus: omne enim intempeſtiuum moleſtum naturæ eſt.

XXIIII. Hinc extremè calidus vel frigidus aër, aut ſubita ab altero ad alterum mutatio periculoſa eſt.

XXV. Cibus autem, & potus immodicè, vel intempeſtiuè ingeſtus morbos excitare ſolet. Idem Ieſus Siracida quoq; teſtatur: nec

de nihilo eſt, quod dicitur: plures perire crapula, quàm gladio.

XXVI. Somnus etiam, & vigilia immoderata, aut intempeſtiua noxia ſunt.

XXVII. Motus vehementior iuſto, maximè poſt longam quietem, aut eſuriente ſtomacho, vires diſſoluit: poſt cibum verò, aut corpore alioqui impuro, replet membra crudis humoribus, & multorum morborum cauſſa exiſtit.

XXVIII. Vt autem immodica, vel ſubita repletio lædit: ſic nimia, vel intempeſtiua excretio, aut abſtinentia noxas infert.

XXIX. Affectus quoque animi vehemẽtiores, vel repentini ſanitatem conuellunt. Ira corpus inflammat, terror neruos lædit, timor & mœſtitia diuturna Melancholiam pariunt, & vt Salomon ſcribit, Triſtitia exiccat oſſa.

XXX. Hęc omnia breuiſſimè, & quaſi in ſumma Hippocrates ſequẽti Aphoriſmo complexus eſt, Plurimùm, atq; repentè euacuare vel replere, calefacere vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere periculoſum. Quoniã om-

fie nimium, eſt inimicum naturæ: ſed quod paulatim fit, tutum eſt, tū aliâs, tū verò maximè cùm ab altero ad alterum tranſitus fit.

Argumentum, ſiue diſtributio Operis.

Tota doctrina de Tuenda ſanitate quatuor continetur partibus. Prima, eſt generalis explicatio naturæ, ſiue ſtructuræ humani corporis. Secunda, continet res ad victum neceſſarias, & vſum earū in genere oſtendit. Tertia, facultates vſitatiſſimorum alimentorum ſummatim exponit. Quarta, vires aliarum rerum, quibus cibi, potusque condiuntur, quantum ad hoc inſtitutū attinet, explicat.

PARS PRIMA.

De natura, ſiue ſtructura humani corporis.

Doctrinam de natura, ſiue ſtructura humani corporis, & actionibus membrorum φυσιολογικὴν appellant, ea continet ſeptem capita: vt, elemēta, temperaturas, humores, membra, facultates, actiones, & ſpiritus.

DE ELEMENTIS, ET *qualitatibus ipſorum.*

CAP. I.

Elementa communia omnium rerum in hoc mũdo inferiori ſunt quatuor, ignis, aër, aqua, & terra. Differunt inter ſe nõ loco ſolùm, ſed & qualitatibus. Ignis eſt calidus, & ſiccus: aër calidus, et humidus: aqua frigida, & humida: terra frigida, & ſicca.

Quæſtio.

Quare aëri, aquæ, & terræ, cùm nunc caleant, nunc frigeant, nunc humida, nunc ſicca ſint, pro diuerſis anni partibus, & cæli conſtitutionibus, certæ qualitates attribuuntur? R. Elementa duplicia ſunt: pura, & impura. Pura ſunt, quibus nihil admiſtũ eſt, quę ſemper eandẽ formã ſeruât, & reipſa non exiſtũt, ſed in miſtis imaginatione concipiũtur, de quibus hoc capite agitur. Impura ſunt noſtra elemẽta, quæ ſenſibus ſubiecta, & mutationib' obnoxia ſunt, in quibus verſamur.

Habet quodlibet elementũ vnã qualitatẽ ſummã, ſibiq́ue propriã,

In igne eſt ſumma caliditas, in aëre eſt ſumma humiditas, in aqua ſumma frigiditas, in terra ſumma ſiccitas. Hæ qualitates ſummæ, primæ ſiue elementares appellantur.

Harum duæ actiuæ dicuntur per excellentiam, quòd magis, ſiue efficacius reliquis agãt, vt caliditas, frigiditas: duę paſſiuæ, quòd minùs, ſiue imbecilliùs agant, vt ſiccitas, humiditas. Sunt ambæ inter ſe contrariæ.

Ex primis qualitatibus ſecundę naſcuntur, vt obiecta ſenſuũ. Sunt præter has & aliæ qualitates ſpecificæ vulgò dictæ; quæ certæ tantum ſpeciei inſunt, vt vis attrahendi ferrum in magnete, paleas in ſuccino.

Quæstio.

Cùm Philoſophi, & Medici ſcribunt conſtare corpora animantiũ ex calidi, frigidi, humidi, ſiccique miſtura quid hîc intelligunt? R. Ipſa elementa, non qualitates.

Alia.

Quomodo ex elementis corpora conſtant, cùm nullum illorum in eis cõſpiciatur, ſicut in ædificio,

ele-

elementa ipſius, nempe ligna, lapides, calx, lutum, oculis ſubijciuntur? R. Elementa ſunt in corporibus miſtis potentia, non actu: ſicut in cereuiſia aqua, hordeum, & lupuli flores: in pane farina, fermentum, ſal, aqua.

DE TEMPERATVRIS.

CAP. II.

Ex miſtura elementorum in corporibus, nouæ qualitates elementaribus multo remiſſiores proueniunt. Aut igitur æqualis eſt qualitatum prouentus, aut inæqualis. Aequalis ἐυκρατος Græcis dicitur, Latinis temperata, & eſt, vel quādo nulla qualitas alias notabiliter excellit, idque vel in vna tantum oppoſitione, vt in aqua tepida, vel in vtraque, vt in vere ſuam naturam ſeruante. Vel eſt harmonia qualitatum conueniens ſuæ ſpeciei. Inæqualis, quando vna, vel duæ ſimul excedunt, vocatur diſtemperata, Græcè δύσκρατ☉. Si vna excedit qualitas, vt caliditas, frigiditas humiditas, vel ſiccitas, ſimplex: ſi duæ ſimul, vt caliditas & ſiccitas, caliditas & humiditas,

frigiditas & humiditas, frigiditas & ſiccitas cōpoſita dicitur. Sunt ergo i ſumma noué tēperaturæ, vna temperata, eaq́; duplex, abſoluté, vel ad aliquid. Octo diſtēperatæ. Ex diſtēperatis quatuor ſimplices, & quatuor cōpoſitæ. Exēpla tēperaturarū habentur in verſibus ſequentibus de quinq; plagis terræ.

Quarum quæ media eſt, nō eſt habitabilis æſtu,
Nix tegit alta duas, totidem inter vtramque locauit,
Temperiemq́ue dedit, miſta cū frigore flama.

Alia Diuiſio.

Temperaturarū alia eſt æqualis, id eſt, ęqualiter per corpus ſparſa, vt in temperato aëre, in tepida aqua corpus æqualiter calet: alia inæqualis, quando partes inæqualiter vel calent vel frigent. Hieme, in frigida cæli conſtitutione in frigida regione extériora ſunt frigidiora, interiora calidiora. Item vigilātes calēt magis extrinſecus, intrinſecus minùs, dormiētes cōtrà.

Alia.

Omnis tēperatura aut actu, aut po-

potentia eſſe dicitur. actu, quę ſenſu tactus percipitur, vt caliditas in iuuene, frigiditas in ſene, humiditas in carne, ſiccitas in oſſe. Potentia quæ vim habet qualitatem ſuã imprimendi humano corpori. Vinum eſt calidum potentia, id eſt, vim habet calefaciendi corpus humanũ. Papauer eſt frigidũ, id eſt, habet facultatẽ frigefaciendi. Lactuca eſt humida, id eſt, vim habet humectãdi. Acetũ eſt ſiccũ, id eſt, exiccat corpꝰ. Hoc modo vna res cõtrariã habere poteſt tẽperaturã, verbi gratia. Vinũ eſt frigidũ actu, calidum potentia: acetum eſt hũmidum actu, ſiccum potentia.

De Gradibus.

Qualitates temperaturarũ ſuos gradus, ſiue exceſſus habẽt: alia enim parũ excedit, adeò vt ſenſu nõ percipiatur, qui primus gradus vocatur: alia magis, vel ſenſibiliter, qui ſecũdꝰ: alia vehemẽter, qui tertiꝰ: alia vehemẽtiſſimè, qui quartꝰ dicitur. verbi gratia. Vinũ recẽs calefacit primo gradu, mediæ ætatis ſecũdo, vetuſtũ tertio, vinũ ſublimatũ, vel quita eſsẽtia vini, 4. gra.

Hæc de elementis, & tempera-turis ſunt communia hominibus cum reliquis rebus genitis. Partes verò hominis ſunt, humores, mē-bra & & ſpiritus.

DE HVMORIBVS.
CAP. III.

Humores ſunt partes corporis liquidæ, ex alimētis in hepate nu-tritionis gratia genitæ. Quatuor ſunt humores naturales. Sanguis, pituita, flaua & atra bilis. Sanguis eſt calidus & humidus, conſiſten-tia mediocri, ruber, dulcis. Pitui-ta eſt frigida & humida, colore & conſiſtētia ſimilis albuminis oui, inſipida vt aqua. Bilis flaua eſt ca-lida & ſicca, tenuis, amara. Bilis atra eſt frigida & ſicca, craſſa aci-da, & quaſi fex ſanguinis. Hi hu-mores ſimul iuncti in venis conti-nentur, & communi voce ſanguis dicuntur. Sunt ergo humores & ſanguis abſolutê ſynonyma.

Eſt & alius ſanguis ab hoc diuer-ſus, qui in corde gignitur, & in ar-terijs continetur, vocatur arteria-lis, eſt calidior, tenuior, & flauior ſanguine venarum.

Quæſtio.

Quomodo ex vno alimento, etiam ſimplici, vt lacte, tam diuerſi humores gigni poſſunt? R. Omne alimentum quantumuis ſimplex, quadruplici conſtat materia, ſiue quatuor elementis, Ex ignea igitur parte bilis, ex aërea ſanguis, ex aquea pituita, ex terrea atra bilis generatur. Ad quā rē non parū etiā tēperatura hepatis cōfert: nā calidi⁹ hepar calidiores, frigidi⁹ frigidiores, humidius tenuiores, ſiccius craſſiores generat humores.

DE MEMBRIS.

CAP. IIII.

Solidiores corporis partes membra dicūtur. Membrorū alia ſunt ſimplicia, alia cōpoſita. Simplicia, ſiue ὁμογενεα, quorū partes eandē cū toto appellationē obtinēt, vt oſſa, caro, nerui, arteriæ, venæ, chordæ, ligamenta: nam quælibet pars carnis, caro, oſſis os dicitur. Compoſita, ſiue ἑτερογενεα ſunt reliqua, quorū partes non idem quod totū nomen habent, pars capitis non dicitur caput, pars manus non dicitur manus.

Compoſitorum alia, quia principales edunt actiones: principalia dicuntur, non quod ſine ijs homo viuere nequeat, vt cerebrum, cor, hepar : alia minùs principalia, vt nucha, ſiue ſpinalis medulla, pulmo, ventriculus. Horum rurſus alia ſunt canales, per quos res trāſmittuntur, vt aſpera arteria, gula, arterię, venę, inteſtina, & alij meatus: alia ſunt receptacula, vt lien, veſicula fellis, veſica.

DE FACVLTATIBVS. CAP. V.

Facultates ſunt qualitates mēbris ad actiones edendas inſitæ. Facultatum aliæ ſunt naturales, aliæ vitales, aliæ animales.

Facultates naturales ſunt triplices. Generatrix, nutrix & auctrix. Generatrix eſt vis procreandi ſibi ſimile. Nutrix eſt vis, quę alimentū ex hepate per venas in corpus diſtribuit, & in membrorū ſubſtantiam conuertit. Auctrix eſt facultas extendendi corpus in longum, latū, & profundum. Nutrici aliæ quatuor facultates ſingulis membris innatæ, quaſi famulæ

quædam, ſeruiunt. Vt attractrix, retentrix, alteratrix, & expultrix. Attractrix eſt facultas, quæ attrahit membro familiare nutrimentum. Sicut enim plantæ diuerſæ, ex terra per ſua organa, non promiſcuè omne, ſed ſibi idoneū extrahunt alimentum: ita & partes corporis id attrahunt, quod ſibi maximè congruit. Retentrix attractum nutrimentum, donec alteretur, retinet. Alteratrix alimentum alterat, & alendis partibus idoneum reddit. Expultrix, quod membris nutriendis minimè idoneum eſt à reliquo ſeparat, & excernit.

Facultas vitalis eſt, quę vniuerſo corpori calorem, in quo vita cōſiſtit, per arterias ſuppeditat. Huius ſedes eſt cor, vt naturalis hepar.

Animalis, eſt vis intelligendi, ſentiēdi & mouendi, cuius domicilium eſt cerebrum. Motus volūtarius eſt vis mouendi corpus, vel partes eius, ſecundum voluntatē ex vno loco in alium. Senſus, eſt vis percipiendi obiecta ſenſuum exteriorum, vt vocant.

Sēſus exteriores ſunt quinq;. Vi-

ſus, auditus guſtus, odoratus, ta-ctus. Obiecta viſus ſunt, colores, auditus ſoni, guſtus ſapores, odoratus odores, tactus primæ qualitates & reliquæ, quæ tactiles vocãtur, vt durũ, molle, leue, graue, dẽſum rarũ, glabrũ, aſperũ. Intelligẽdi facultas eſt triplex. Imaginatiua, cogitatiua, & memoratiua, vulgò ſenſus interiores vocant.

DE ACTIONIBVS.

CAP. VI.

Tot ſunt genera actionũ, quot facultatum à quibus proficiſcuntur: vt naturales, vitales, & animales.

De Coctionibus.

Tres ſunt coctiones. Prima in ventriculo fit, cibo & potu ingeſtis, facultate concoctrice ventriculi caloreq́;, tum vicinorum membrorũ, hepatis, lienis, omẽti, diaphragmatis adminiculo in cremorem verſis, qui χυλὸς vocatur. Vt autem melior coctio in ventriculo fiat, nõ integri & rudes boli, vt ranæ à ciconijs deuorentur, ſed cibi priùs dẽtibus probè cõfecti deglutiãtur. Mãſa ſiquidẽ bene, faciliꝰ à

ventriculo concoquũtur. χυλὸς ex ventriculo in hepar tranſporta tus in humorem, ſiue ſanguinem conuertitur, Hæc coctio ſanguifi catio dicitur. Tertia coctio fit in ſin gulis corporis membris, cùm è ve narum extremitatibus, quaſi ros quidam humor in particularũ caui tates extillat, qui partibus apponi tur, agglutinatur, & aſſimulatur. Hæc coctio, eſt vera nutritio.

Differt ergo actio ab opere, co ctio in ventriculo eſt actio χύλωσις dicta. χυλὸς eſt opus, & ſic de reli quis.

De Excrementis, & Excretionibus.

Alimẽta quantũuis bona nõ to ta corpori aſſimilari poſſunt. Quid quid ergo in ſubſtantiam corpo ris conuerti nequit, excrementum dicitur. Habet quælibet coctio ſua excrementa. Primæ coctio nis excrementa ſunt ſtercus, fla tus, qui crepitu & ructu excernun tur. Secundæ vtraque bilis, & vri na. Dum enim ſanguis generatur in hepate, quod excremẽtitium, & alẽdis partibus minimè idoneũ eſt,

à bona maſſa ſeparatur, & in vaſa ad id à natura deſtinata ſeponitur, biliöſum in veſiculam fellis hepati adhærentem, melancholicum in lienem, aquoſum per renes, & meatus vrinarios in veſicam. Tertiæ coctionis excrementa ſunt inſenſibilis tranſpiratio, ſordes cutis, ſudor. Item peculiaria membrorũ excrementa, ſordes aurium, oculorum, palati, ſputũ, ſaliua. Eſt & ſanguis ſuperfluus excreméticius. Hę materię vel ſpõte excernũtur, cùm videlicet corpus quãtitate, aut qualitate moleſtant, vt in profluo alui, fluxu ſanguinis narium. Tales excretiones naturales ſiue ſpontaneæ dicuntur, vel arte, de quibus hoc loco aſſerere intempeſtiuum eſt.

De Pulſibus

Pulſus eſt motus cordis et arteriarum, attrahens & emittens aërẽ, conſeruandi natiui caloris gratia. Contractio arteriarum ſyſtole, dilatatio diaſtole vocatur.

De Reſpiratione,

Reſpiratio eſt motus pectoris attrahens & expellens aërem, quo

calor cordis tẽperatur & nutritur. Partes eius ſunt inſpiratio, & expiratio. Inſpiratio aërem externum per aſperam arteriam attrahit, expiratio fuliginoſum aërem à corde per eandem expellit.

Differt reſpiratio à tranſpiratione. Tranſpiratio enim eſt aëris inſenſibilis attractio & emiſſio meatuum cutis vniuerſi corporis & eſt motus naturalis, Reſpiratio verò eſt voluntarius motus, fit per muſculos pectoris.

DE SPIRITIBVS.

CAP. VII.

Subtiliſſimæ corporis partes ſpiritus dicuntur. Et ſunt ſpiritus, Vitalis animalis, & naturalis. Naturalis in hepate generatur, & nihil aliud eſt quàm vapor ſanguinis. Vitalis in corde ex naturali & aëre attracto gignitur. Animalis in cerebro ex vitali exácti⁹ elaborato fit.

Sunt autem ſpiritus organa, ſiue vehicula, quib⁹ facultates principalium membrorũ in partes ſingulas tranferuntur.

Quæſtio.

Cùm Philoſophi ſcribũt vitã in

calido & humido conſiſtere, quid hìc calidum & humidum ſignificat? R. Humidum vtrumque cõplectitur, nutrimentum & humidũ radicale, quod à natiuitate mẽbris ineſt. Calidum vero ſignificat, calorem naturalem, ſiue innatum, vt Hippocrates appellat, qui humido fouetur & conſeruatur. Huius fons & ſedes eſt cor, qui omnium naturalium actionũ cauſſa exiſtit, nec vita aliud eſt, quàm iſte calor.

Appendix.

Hæc omnia quàm diu ſe habent ſecundum naturam homo viuit, valet, & fungi ſuo munere poteſt. Cùm verò conditiones ſuas amiſerunt, corpus moleſtatur, actiones langueſcunt, morbi creantur, & niſi auxilijs idoneis ſuccurritur, tãdẽ vita extinguitur.

Concluſio.

Hactenus, corpus humanum quid, & ex quibus rebus conflatũ ſit ſummatim expoſuimus: nunc, quo pacto conſeruetur, ac ne præproperè ſeneſcat intereatuè, ſiue vt iuſtum vitæ tẽpus expleat, exeque-

quemur. Cùm autem vita in calido & humido conſiſtat, vnicè cauendum eſt, ne calor diſſoluatur extinguatúrue, aut humor natiuus, pabulum caloris ante tempus abſumatur, vel alioqui vitietur. Quæ duo, ſi perpetuò integrè ſeruari poſſent, homines eſſent immortales. Verùm cùm calor aſſiduè aliquid humoris depaſcat, & quod in eius locum alimentis reparatur, vilius ſit eo quod deceſſit, calorem languidiorem fieri, minui, ac tandem deficiente cōgruo pabulo naturaliter reſolui extinguiq́;, quod eſt mori, oportet. Eſt enim mors nihil aliud, quā natiui caloris extinctio. Hæc dupliciter accidit. Naturaliter, id eſt, ſecundum naturæ curſum eo quo iam dixi modo, & violenter. Violenter vel à cauſſa externa, violenta, vt gladio ictu, caſu, morſu, punctura animalis venenati, vel à morbo aliquo, qui ab intēperantia cōtrahitur. Hinc enim morbi: ex morbis oppreſſio vel extinctio caloris: ex hac mors ſequitur. Et cum pauci iuſtùm vitæ terminum aſſequûtur, non malè dictum eſt,

plus

plures crapula, quàm gladio perire. Quomodo autem calor natiuus conſeruari, & humoris abſumptio prohiberi poſſit, in ſequentibus tradetur.

PARS SECVNDA

DE REBVS AD SANItatis tutelam neceſſarijs.

ὑγιεινὴ eſt doctrina continens præcepta tuendæ ſanitatis, vel rerum ad ſanitatem neceſſariarum vſum oſtendens. Eſt autem ſanitas conſtitutio corporis, ſecundum naturam ædens actiones. Vel, vt Cicero eam definit, eſt corporis temperatio, cùm ea congruũt inter ſe, quibus conſtamus. Conſtamus membris humoribus, & ſpiritibus: ijs ergo inter ſe cõgruentibus ſani ſumus.

Sanitas alia firma eſt, quæ non facilè offenditur: alia infirma, quæ facilè offenditur. hæc maximè opus habet regula viuendi. Hinc ſolui obiectio poteſt, cur quidam, etſi intemperanter viuant, ſint longæui magis alijs temperatam vitã agentibus, In cauſſa eſt ſanitatis diuerſitas. Qui enim robuſto ſũt cor-

pore, & firma valetudine, non facilè ab externis rebus afficiuntur: ſicut æs non tam citò calore liquatur, quàm plumbum. Fit tamen interdum, vt tandem natura quantumuis robuſta, vel copia obtundatur opprimaturque, hinc repentina mors: vel aſſiduitate læditur, ſicut gutta cauat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo. Quibus autem non adeò firma eſt ſanitas, illi diligentia in victu diu viuere poſſunt: intemperantia verò citò extinguuntur.

ὑγιεινῦ finis eſt iuſtum vitæ terminum abſque valetudinis incommodo attingere.

Res ad tuendam ſecundam valetudinem neceſſariæ ſunt, aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excretiones, animi affectus, Hæc ſi ritè adhibentur, ſanitatem conſeruant: ideoque cauſſæ conſeruatrices ſanitatis à Medicis dicuntur, ſi verò perperam eadem corrumpunt. Quomodo autem ritè adhiberi debeant, breuiter & ſummatim perſtringemus, paucis priùs in genere de alimentis præmiſſis.

De Alimentis,

Alimenta dicuntur materiæ, quæ per os ingeſtę in ſubſtantiam corporis conuerti poſſunt, Quibus ideo opus eſt, nam ſemper aliquid partim à calore interno, partim verò ab aëre externo corpori decedit, & ſicut triplex corporis ſubſtantia, vt dictum eſt, ita quoque triplex nutrimentum, aër, cibus & potus. Quodque enim ſuo ſimili nutritur. Quidquid ergo ſpiritoſæ ſubſtantiæ, decedit, aërę reparatur: quidquid verò craſſioris ſubſtãtiæ, cibo & potu.

DE AERE.

CAP. I.

Aër potiſſimum nutrimentum animantium eſt, & maximè ad vitam neceſſarium: eoque rectè à Poëta vitalis aura appellatur. Nam cibo & potu ad tempus carere poſſumus, aere autem ſingulis fere momentis indigemus. In aere conſideranda ſunt temperatura, & puritas Aer temperatus eſt ſaluberrimns: diſtemperatus verò alijs ſaluber, alijs non pro naturarũ diuerſitate: ſanis enim ſi

milis,

milis, vitioſis verò ſtatibus cõtrarius conuenit. Hinc fit, vt aliæ naturæ calido cælo, aliæ frigido meliùs aut peius valeant. Pituitoſi enĩ æſtate, bilioſi hieme optimè degunt. Cæterùm vt temperatus, ita purus quoque aër omnibus ido neus eſt. Vehementer autem diſtemperatus, impurus, fœtidus, nubilus turbidus, occluſus, putridus venenatus, noxius eſt.

Mutatur aër à motu corporum cæleſtium, à ventis, à rebus in terra naſcentibus, iacentibus, & putreſcentibus, à fumis é terræ cauernis exhalantibus. Mutatur & induſtria humana: vt, accenſis lignis, ſuffitibus, ſparſis in terram frondibus & floribus, diffuſis liquoribus.

Huc & odores pertinent. odorata non ſolùm alunt ſpiritus vitalis, ſed etiam corroborant, tum ipſos, tum cor, & cerebrum. Valdè odorata, vt moſchus caryophylla, baſilicum, ſpica, quaſdam naturas grauiter offendunt, præcipuè mulieres.

Cùm potiſſimum nutrimentũ aër ſit, danda eſt opera omnibus

Muſarum cultoribus, vt quantũ fieri poteſt, ſemper optimum & ſaluberrimum hauriant, id quod fit, quando in loco ſalubri habitant, qualis eſt excelſus, ſpectans ad ortum, vel ſeptentrionem, lucidus, ligneis tabulis inductus, ab omni fœtore remotus, iuxta hortum, vnde ſubinde boni odores aſpirant.

DE CIBO, ET POTV

CAP. II.

In ciborum & potionum adhibitione conſideranda ſunt, quantitas, qualitas, tempus, & ordo. De quantitate rectè ſcribit Marcus Cicero, tantum cibi & potionis adhibendum eſſe, vt vires reficiantur, non opprimantur. Quantitas enim alimentorum natiuo calori, a quo vires pendent, reſpondere debet. Qui plurimum habẽt calorem, vt pueri, operarij, plurimo indigent cibo: qui paucum, vt ſenes, deſides, pauco. Creſcentibus ergo, & hiberno tempore copioſiore alimento opus eſt. Hinc plus cibi eſſe capiendum in cœna, quàm prandio non ineptè colligitur

eur. Noctu enim ventriculi calidiores ſunt, quam interdiu.

Ciborum, alij ſunt ſimpliciter cibi, qui tantum nutriunt: alij non ſolùm nutriunt, ſed etiam alterant corpus, qui medicamentoſi dicuntur, vt olera pleraque, vinū, mulſa. Sanis conuenit cibus ſimilis, humidis vt pueris, & aſſuetis humidus. Vitioſis verò ſtatib⁹ contrarius, vt mulieribus priuatis ſiccior ex vſu eſt.

Tempus edendi aptiſſimum eſt abſoluta coctione, quod fames indicat, neque enim ingerendus alius eſt prius, quàm ingeſtus probè concoctus ſit.

Cùm diuerſi cibi aſſumuntur, molles & concoctu faciles reliquis præmittantur. Errant ergo noſtri homines, quod pruna cocta, ſimiliáque vltimo loco apponunt. Nihil etiā peius eſt, quàm varia, & diſſimilia valde ſimul ingerere, & in comedendo moram trahere.

DE SOMNO, ET *vigilia.*

CAP. III.

Somnum ad ſanitatis tutelam neceſſarium eſſe experientia conſtat. Tempus ſomno aptiſſimum eſt nocturnum. diuturnus ſomnus improbatur maximè à prandio, licet tamen interdiu manê potiſſimũ compenſare dormiendo, quod noctu propter negotia, aut propter cruditatem neglectũ eſt. Terminus ſomni eſt perfecta ciborum concoctio, quæ corporis alacritate, & membrorum vigore cognoſcitur. Item quando nec ventris dolor, nec ructus, nec oſſitatio, aut pãdiculatio inſueta adeſt. Quia verô coctionis ſpatium propter naturarum diſſimulitudinem inæquale eſt, ſeptem horæ plerũque ſomno ſufficere putantur. Vtraque autem, & ſomnus & vigilia, modum excedentia nocẽt, ſomnus immoderatus caput replet, ſẽſus obtundit: vigilia vero nimia, cerebri temperaturam corrumpit, corpus exiccat, & attenuat laſſitudinem inducit, cruditatem affert. Supinus ſomnus damnatur, pronus coctionem iuuat, ſed oculis officere videtur. In latere dormiſe, primùm dextro, deinde ſiniſtro,

tro ſaluberrimum eſt.

DE MOTV, ET *Quiete.*

CAP. IIII.

Exercitia ſignificant motus corporis vel animi vehementiores, & non minus quàm alimenta ad ſanitatis tutelã neceſſaria ſunt. Quando exercitijs vtendum ſit, Hippocrates breuiſſimè oſtendit his verbis. Labores cibos antecedant. Excitant autem et augent moderata & tempeſtiua exercitia innatum calorem, excrementorum euacuationem promouẽt, membra firmant Vt autem moderata exercitia corpus calefaciunt, ita immoderata diſſoluendo calorem frigefaciunt & exiccant. Exercitium poſt cibũ coctionem impedit, excremẽtis corpus replet caput grauat

Immoderata exercitia animi, cerebrum lædunt, inſomnia pariunt, & delirium afferunt: corporis verò, laſſitudinem membrorũ inducunt, vires diſſoluunt.

Exercitia alia ſunt vniuerſalia, quæ totũ corpus exercẽt, vt ludus

paruæ pilæ, ars gladiatoria: alia particularia, quæ partem, vt cantatio, clara lectio pectus, ambulatio pedes exercet.

Ad exercitia frictiones quoque pertinent, quæ non exiguum in curanda valetudine vſum habent, & tertiæ potiſſimùm coctioni ſeruiunt. Fricetur ergo corpus mâne vel manibus, vel pannis.

Tempus & effectus quietis poëta vt breuiſſimé, ita & aptiſſimè hoc diſticho complexus eſt.

Quod caret alterna requie durabile non eſt:
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.

Indicat & viciſſitudo dierum ac noctium alternis laborandum quieſcendumque eſſe. Vt autem quies vires raparat: ſic ignauia corpus hebetat & vitiat: quemadmodum idem poëta teſtatur ſequenti diſticho.

Cernis vt ignauum corrumpũt otia corpus.
Et capiunt vitium ni moueantur aquæ.

Problema.

Quæ

Quare Scholaſtici plerique ſcabie infeſtantur, an ob loci victuſque mutationem, an verò propter neglecta vel intempeſtiua exercitia: plerumque enim poſt cibum ambulare & ludere ſolent.

DE EXCRETIONIBVS.

CAP. V.

Excretionum, aliæ ſunt naturales, vt ſudor inſenſibilis tranſpiratio: aliæ voluntariæ, vt alui deiectio, mictio. Excrementa quàm primùm euacuanda ſunt: retenta enim grauant & moleſtant corpus, ac tandem morbos pariunt. Aluus quotidiè, vt minimùm, bis exoneranda, mâne & veſperi. Hæc conſuetudo non tantum ad ſanitatem, verum etiam ad ciuilitatem morum facit. Vrinam reddere oportet, quando neceſſitas exigit, non tamen ſubitò de canum more mingendum eſt. Particularium membrorum excrementa, vt, aurium, narium, palati, maturè quoque euacuanda ſunt.

Hùc & balnea referuntur. Tempus balneorum accõmodatiſſimũ

eſt ante cibum. Hinc vulgò dici rectè ſolet. Ventre repleto balneum intrare caueto. In balneo aut mox poſt balneum bibere nocet, & perinde eſt, ac ſi quis lateri calenti frigidam infundat. Subitæ enim alterationes omnes naturæ inimicæ ſunt.

Balnea aquæ dulcis humectāt, aër balnei calefacit, diu in balneo morari exiccat. Lauare aqua frigida iuuenibus carnoſis æſtate confert. Thermæ verò, & ſcortarum metallicarum aquæ exiccandi fucultatem habent, nec ſanis admodum conueniunt. Eſt & caput ante cibum lauandum, & lotiones pedum ieiuno, quàm pleno vētre ſunt ſalubriores. Poſt cibum enim adhibitæ retrahendo calorem à vētriculo ad pedes, coctionem impediūt, & crudam materiā in eos attrahunt.

DE AFFECTIBVS *Animi.*

CAP. VI.

Omnes animi affectus vehementiores & diuturniores vt, ira, terror, metus, mœſtitia, cura, &c.

valetudinem lædunt. Mens quieta & moderatum gaudium, ſalubritati corporis accommodata ſunt.

Appendix de Conſuetudine.

In prædictis rebus omnibus magnam conſuetudo vim habet, adeò vt longo tempore aſſueta, etſi deteriora ſunt, inſuetis minùs moleſtare ſoleant. Danda ergo opera literarum ſtudioſis, vt mox ab adoleſcentia optimis aſſueſcant. Eſt tamen vnius rei conſuetudo periculoſa, cùm inopinatis rerum ſortibus, homo quilibet expoſitus ſit. Mala conſuetudo mutanda quidem eſt, nõ tamẽ ſubitò, ſed paulatim: ſubitæ enim mutationes, naturæ inimicæ ſunt, & ſedulò cauendæ.

DE NEVTRIS CORporibus.

Hoc loco Medici à Philoſophis diſſentiunt. Plato & Ariſtoteles immediatè contraria eſſe ſanitatem & morbos tradunt. Medici contra medium inter vtrumque ſtatuunt. Cùm autem peritis

quibusque in ſua arte credendum ſit, rectè Medicorum ſentẽtia præfertur, & media corpora, neutra dicta, ſtatuuntur.

Ad ὑγιεινὴν neutra quoque corpora pertinent, media inter ſana & ægrota, quibus vel morbus impendet, vel qui ex morbis conualeſcunt, vel qui ambigua valetudine præditi ſunt. Corpora morbis obnoxia malos humores habẽt, ſed pauciores, quàm vt impedire actiones, quod morbi proprium eſt, poſſunt.

De vitioſis Humoribus.

Vitioſi humores dicuntur, qui conditiones ſupra naturalibus humoribus attributas non habent, vt, ſanguis bilioſus, pituitoſus, aquoſus, craſſus, melancholicus. Pituita aquoſa, craſſa, vitrea, ſalſa. Bilis vitellina, viridis, aduſta. Atra bilis aduſta.

Gignuntur vitioſi humores, vel ex vitioſis cibis, vel ex probis etiam alimentis, immodicè aut intempeſtiuè ingeſtis: vel propter intemperiem ventriculi, hepatis,

& venarum: vel ab externa aliqua cauſſa coctionem impediente, vt eſt aër diſtemperatus, ſomnus inconueniens, exercitia animi vel corporis perperam adhibita, ignauia, affectus animi vehementiores. Tales humores non nutriunt, ſed corpus grauant & moleſtant, ac niſi in tempore corrigantur vel expellantur, morbos efficiunt.

Eſt & boni ſanguinis exceſſus vitioſus, qui à Græcis Medicis πληθώρη, ſiue πλῆθος vocatur, ſicut reliquorum humorum κακοχυμία. Vnde corpora ſanguinis redundantia plethorica, vitioſos humores habentia cacochymica vocantur.

Copia ſanguinis generatur in calido & humido hepate ex cibis & potibus boni ſucci liberaliùs ingeſtis, mediantibus tempeſtiuis exercitijs, ſomno largiore, animi tranquillitate.

Signa futuri morbi.

Sicut nunquam in cælo tempeſtas incidit, niſi notis quibuſdam præcedentibus, quibus nautæ de

periculo inſtante præmonentur, ita morbos quoque ſua ſigna præcedunt, quæ homines, vt ſuæ valetudini in tempore proſpiciant, commonefaciunt.

Signa futurorum morborum ſunt, laſſitudines membrorum ſpontaneæ, faſtidium cibi, ſitis vehemens cordis morſus, vertigo, oris amaritudo, tormina, genuum grauitas, lumborum dolor, ſudor multus in ſomno, ſine aliqua manifeſta cauſſa, oſcitationes, & pandiculationes inſolentes. Item conſuetarũ excretionum ſuppreſſio vel immodica euacuatio. In ſumma aliter ſe habere corp⁹, quã conſueuit.

Horum ſignorum quædam tantùm ſunt ſigna, vt, faſtidium cibi, laſſitudines ſpontaneæ: quædam & ſigna & cauſſæ ſunt. Timor & mæſticia, tum ſigna, tum cauſſæ ſunt impendẽtis vitij alicuius melancholici: retentio excrementorum & cauſſa & ſignum eſt futuri alicuius morbi. Hæc poſteriora ſigna diligenter ſunt obſeruanda, & cauſſa futuri morbi remouenda. Vocatur talis doctri-

na à Medicis prophilactice, quæ nihil aliud eſt, quàm ratio arcendi impendentis morbos, quod fit per remotionem cauſſę: ea enim remota, morbus fieri nequit.

Cùm ergo ſigna eiuſmodi apparent, valetudinis ſtudioſi, prudentes nautas imitari debent, qui tempeſtatem futuram proſpicientes vela contrahunt, ancoras in mare demittunt, aut in portum aliquem ſe recipiunt, vt periculum effugiant: ita quoque ipſi, cauſſæ impendentis morbi, vt remoueantur & precidantur curare debent. Atque hoc eſt, quod poëtæ monent.

Perſius.

Venienti occurrite morbo.

Ouidius.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur.

Dum mala per longas inualuere moras.

Non enim committendum eſt, vt malum inualeſcat: nam euentus curationis nō ſeper certus eſt. Nunquam minori negotio & periculo, quàm cùm incipit incendiū

reſtinguitur: ac ſtultum eſt admittere, quod caueri poteſt.

Si cauſſa externa eſt nempe abuſus alicuius rei neceſſaria ſupra dictæ. exempli gratia. Motus animi vel corporis immoderatus vel intempeſtiuus, vitabitur futurum malum, ceſſante cauſſa, & in contrarium mutata. Emendatur ergo quiete tempeſtiua, quod intempeſtiuo motu contrahitur. Internæ cauſſę ſunt humores, quantitate aut qualitate à debito modo recedentes. Humoris ſpecies ex colore præcipuè cognoſcitur, deinde ex alijs quibuſdã animi vel corporis notis & circũſtantijs.

Notæ Sanguinis abundantis.

Rubor, venarum tumor, adeò vt, quæ prius ſenſum effugiebant, nunc conſpiciãtur, maximè in oculis, grauitas vel tenſio membrorum, propenſio ad ſomnum, ſomniare res rubeas, ſanguinem, & ſimilia.

Notæ pituitæ abundantis.

Pallor & tumor faciei, multa ſaliua, ſegnitia, torpor mentis, ſo-

nolentia, ſomnia de aquis, piſcib⁹, & balneis.

Notæ Bilis abundantis.

Color faciei ad flauum tēdens, quandoque & ad virorem, ſiccitas & amaritudo faucium, nauſea, inſomnia, iracūdia, ſomnia de iurgijs cædibus, incendijs.

Signa atræ bilis.

Color vergit ad nigredinem, inuſitatum ſilentium, amor ſolitudinis, timor & mæſtitia, ſomnia de funeribus, de luto,

Corpora in quibus mali humores exiſtunt, impura dicuntur, quæ nec exercenda, nec nutrienda ſunt: nam ſi exercentur, puſtulæ erumpunt, vel ſcabies, vel aliud malum oboritur. Si nutriuntur, augentur mali humores, & morbus impendens creſcente cauſſa acceleratur. Hinc eſt quod Hipp. ſcribit. Non pura corpora, quò plus nutries, eò magis lædes. Sunt ergo mali humores remouēdi, non augendi.

Sanguis abundans, venæ ſectione, cucurbitulis, hirudinibus, fluxu ſanguinis narium, vel alterius

mẽbri, vel loco iſtorũ inedia remo⸗
uetur. Reliqui humores exceden⸗
tes, purgantib⁹ cuiq; humori fami
liarib⁹ medicamẽtis euacuantur.

Aptiſſimũ tempus venæ ſectio
ni, & purgationi eſt ver. Tũ enim
mouentur humores ab interiorib⁹.
ad exteriora. Secundũ locum autũ
mus obtinet.

Vt autem quod ſuperfluum eſt
ritè euacuetur, peritum Medicũ
in conſilium adhibere oportet, nõ
circumforaneum, aut erronem ali
quem, nõ indoctam vetulam, nec
quodlibet medicamentum vulgò
celebre ingerendum, aut ex ſolis
notis calendariorum quid facto
opus ſit iudicandum.

DE CONVALES⸗ *centibus.*

Conualeſcentes ex morbis ido⸗
neo victu maximè indigent, vt ci⸗
bis boni ſucci concoctu facilibus,
qui paulatim pro modo decremẽti
corporis augendi ſunt: nec obru⸗
endus cibo ſtomachus, etiam ſi ap
petitus id expetere videtur: de⸗
inde moderato reliquarum re⸗
rum neceſſariarum vſu. Cauendæ
ſubi⸗

ſubitæ mutationes, ac paulatim ad conſuetam rationem victus redeundum.

Si quid malorum humorum reliquum eſt, etiamſi morbus deſijſſe apparet, corpus non nutritionem, ſed euacuationem exigit. Niſi enim alienum auferatur, ſecũda valetudo contingere non poteſt, & morbus recurrere ſolet. Quæ enim relinquuntur, in morbis recidiuas facere conſueuerũt, auctore Hippocrate, & teſte experientia. Reliquias malorum humorum indicant nauſea, faſtidiũ cibi: non corroborari corpus ſumpto nutrimento, laſſitudines, & aliæ quædam notæ ſuprà in ſignis futuri morbi enumeratæ. Hæc diligenter ſtudioſis obſeruãda ſunt, ne per imprudentiam in morbum relabantur, & grauius periculum incurrant. Recidiua enim ipſo morbo plerunque periculoſior eſſe conſueuit.

DE VICTV SENVM.

His cognata eſt ſenum victus ratio: gaudent enim alimentis boni ſucci, & coctu facilibus. Non

autem vt ibi augendi ſunt cibi, ſed pauci ob caloris innati paucitatẽ ſubinde exhibẽdi, ne à multis obtundatur atque extinguatur. Aër calidus ſenibus amicus, frigidus noxius, quare æſtate, quàm hieme, meliùs valent. Somnus largior ex vſu eſt. Balneum aquæ dulcis calidum, ſenibus idoneum.

PARS TERTIA.

DE ALIMENTIS IN *genere.*

Alimenta, vt ſuprà dictum eſt, ſunt materiæ, quæ per os ingeſtæ in ſanguinem, ſubſtantiamq; mẽbrorum conuerti poſſunt.

Diuiſiones Alimentorum.

I Ciborum, alij tantùm nutriũt, vt priùs quoque dictũ eſt: alij non ſolùm nutriũt, ſed etiam medicamentorum ritu alterant corpus, et vel calefaciunt vel refrigerant, vel humectant vel ſiccant, vel duabus qualitatibus ſimul agunt, vt ex ſequentibus patebit exemplis.

II. Alij multum nutriũt, vt carnes, oua, panes, lac, potus omnis generis meraciores: alij parum: vt, olera,

olera, radices, fructus, iuſcula ex aqua parata, vina aquoſa, cereuiſię & mulſæ tenues. Qui multum nutriunt, parum habent excrementorum, & econtrà.

III. Alij citò concoquuntur & nutriunt: vt, vinum, oua mollia, piſces ſaxatiles: alij tardè, vt caro ſuilla, bubula, piſces duri, glutinoſique. Quæ citò nutriunt, veloces excretiones habent: quæ tardè, tardas.

IIII. Alij cibi ſunt εὔχυμοι boni ſucci, id eſt, bonum gignunt ſanguinem: vt, oua, carnes vitulinæ, gallinaceæ, perdicis, phaſiani. Alij κακόχυμοι mali ſucci, id eſt, malum ſanguinem gignētes: vt, caro hircina, caro bubula vetuſta fumo indurata, caſei putridi, aut ſitu corrupti.

V. Alij bonum quidem, ſed tenuem gignunt ſanguinē: vt, vuæ, pruna, perſica, & plerique fructus virides, piſces ſaxatiles: alij bonū & glutinoſum: vt, caro ſuilla, & quædam piſcium genera.

VI. Vitioſorum ciborum, alij ſunt bilioſi, alij melancholici, id eſt, bilioſum, pituitoſum, melan-

cho-

cholicum ſanguinem gignunt.

VII. Alij ſunt grati ſtomacho, εὐστομαχοὶ dicti: vt auſtera, acida, ſicut pira, cydonia, meſpila: alij verò ingrati κακοστόμαχοι: vt, ſalſa, prædulcia, pinguia iurulenta, & tepida omnia. Ex his intelligi poteſt, non quidquid boni ſucci eſt, protinus ſtomacho conuenire, neque quidquid ſtomacho cõuenit, protinus boni ſucci eſſe.

VIII. Ciborum, alij crudi aſſumuntur, vt fructus, olera quædã, quædam herbę, flores, radices: alij cocti, qui crudis faciliùs alterãtur & meliùs nutriunt. Quidam ex his quaſi medij ſunt: vt, cónditi fructus, & ſimilia.

IX. Alij ſunt ſimplices cibi, alij compoſiti, alij ſimpliciter cocti, vt, caro ex albo iure, alij aromatis conditi, de quibus poſteà.

DE CARNIBVS *in genere.*

CAP. II.

Ex partibus animalium ſimplicibus carnes maximè & optimè nutriunt, carũ igitur natura & diuerſitas diligenter cognoſcẽda eſt.

Col-

Collationes Carnium.

I Feræ domeſticis ſalubriores: nã minus excrementitiæ humiditatis, propter motum & aſſiduam in aëre conuerſationem habent, & ſicciùs alimentum gignunt.

II. Ex domeſticis carnes liberorum animalium, quàm altiliũ ſunt meliores.

III. Quæ degunt in aquis, volatilibus longè inferiores ſunt, & difficiliùs concoquuntur.

IIII. Piſces terreſtribus animalibus tenuiorem, & frigidiorem ſanguinem gignunt.

V Iunioria ſenioribus ſunt humidiora, & faciliùs concoquũtur, atque in corpus digeruntur.

VI. Pinguia macilentis pręſtãt: hoc nomine caſtrata maribus præferuntur.

VII. Heſterna, q̃ recẽs mactata faciliùs concoquuntur. Gal.

De reliquis Animalium partibus.

Partes quò minus carnis habẽt, eò minus nutriunt, & difficiliùs concoquuntur: vt oſſa, cartilagines, nerui, mẽbranæ, partes carti-

tilaginoſæ, neruoſæ, membranoſæ.

II. Partes carnóſæ duriores, vt cordis, difficiliùs coquuntur, & ſolidiùs nutrimentum præbent: molliores contrà.

De Carnibus in ſpecie.

Agnina.

Agnina caro mediocriter calida eſt, & excrementitia humiditate abundat, ob id humidis temperaturis noxia: ſiccis verò confert. Aſſa melior eſt, quàm elixa. Aſſando enim ſuperflua humiditas abſumitur.

Anſerina.

Anſerina caro palato gratior, quàm corpori ſalubrior. Difficulter coquitur, craſſum gignit ſanguinem. Stomachus vulgò in delicijs habetur, alæ à Medicis commendantur. Meliores ſunt anſeres, qui demeſſo frumento in agris paſcuntur, quàm qui domi incluſi ſaginantur, ratione alimenti, & propter motum. Quidam Apicij pullos anſerinos in paſta panis coquunt, quod non probo.

Anatina.

Anatina per omnia ferè cognata eſt anſerinæ.

Bubula.

Caro bubula difficulter coquitur, & ægrè in corpus digeritur. Coctum autem, multum nutrit: quò enim valentior quæque materia eſt, eò difficiliùs coquitur: cocta verò magis nutrit. Gignit craſſũ & melancholicum ſuccum: quo nomine melancholicis nocet: calidis ventriculis & operarijs aptiſſimus eſt cibus.

Capreolorum.

Capreolorum caro melior eſt, quàm reliquorum agreſtium: humidis commodum eſt alimentũ.

Caprina.

Caprina caro eſt mali ſucci, & difficilis concoctionis.

Ceruorum.

Caro ceruina difficilis coctionis mali ſucci eſt, & atram gignit bilem, iecur & lienem obſtruit. Farcta verò copioſo lardo humidior, ſalubriorque redditur.

Columbina.

Caro columbina non eſt tam boni ſucci, quàm quibuſdam nationibus familiaris. Pulli meliores aſſi, quàm cocti.

Gallinacea.

Caro gallinacea inter domeſticas aues optimum alimentū præbet, eſt facilis coctionis, boni ſucci, idoneus otioſam vitam degentibus cibus. Variat iuxta ætates, vt aliorum animalium. Caro gallinarum eſt melior, quàm gallorū, niſi ſint caſtrati. Ius veteris galli cum ſale diutiſſimè cocti, ventrem ſubducit; gallinæ verò comprimit. Præſtat etiam mea quidē ſententia ius caponum ſucco, qui ex contuſa tota capi ſubſtantia exprimitur, & ſtomacho minùs ingratus eſt.

Gruina.

Caro gruina, quia neruoſa & fibroſa eſt, difficulter coquitur.

Hædina.

Hędina caro melior eſt agnina: facilè coquitur, modicè nutrit, ſanguinem tenuem gignit, meliores ex his ſunt mediæ ætatis.

Leporina.

Lepo-

Leporina caro quare tanti fiat, & quadrupedibus reliquis à poëta præferatur, miror. Craſſum enim & melancholicum ſanguinem gignit, ventrem ſiſtit, vrinam mouet, confert humidis naturis magis, quàm alijs.

Ouilla.

Ouilla caro pituitoſum gignit ſanguinem, aſſa præſtat elixa.

Pauonum.

Caro pauonum magis luxus, quàm vtilitatis gratia apponitur: eſt enim fibroſa, difficilis coctionis, & mali ſucci.

Phaſianorum caro.

Caro phaſianorum eſt boni ſucci, facilis coctionis, & bonum gignit ſanguinem.

Perdicum caro.

Perdicum caro eſt boni ſucci, bene concoquitur, maximè ſi poſt biduum, aut triduum primum paretur: otioſis & debilibus aptiſſimum nutrimentum.

Porcina.

Porcina caro alimentorum omnium maximè nutrit, boni ſucci eſt, ſed difficulter concoquitur.

Cocta verò, bonum alimentum præſtat, gignit ſanguinem glutinoſum, qui nõ facilè in corpus digeritur, & prõpta eſt obſtructiones citare, humidis minùs idonea.

Vitulina.

Vitulina caro, modò nõ nimis iuuenis ſit, non difficulter coquitur, & bonum gignit ſanguinem.

De Piſcibus.

Piſces omnes frigidi & humidi ſunt temperamenti, ſaxatiles & molli carne præditi reliquis præſtant, facilè concoquuntur, boni ſunt ſucci, mediocriterque humectant: qui dura carne conſtant, difficulter coquuntur, viſcoſi viſcoſum gignunt ſanguinem.

SVMPTA EX *Animalibus.*

De *Ouis.*

Oua ſumuntur ex gallinis, anſeribus, anatibus: ſed gallinacea reliquis præſtant, recentia ſunt vetuſtis meliora. Oua mollia plus nutriunt, ſorbilia melius deſcendunt & gutturis aſperitatem leuigant: dura maximè aſſa difficulter

coquũtur, & craſſum ſanguinem gignunt.

De Lacte.

Lac probè coctum, bene nutrit: in frigido autem ventriculo facilè coaceſcit, in calido euaporat, & in nidorem conuertitur: elixum crudo plus nutrit. Coctum cum melle aut ſaccharo, non facilè in ventriculo corrumpitur. Lac tenuius, melius eſt craſſo: hoc enim iecur & renes obſtruit, calculosq; gignit, & eſt dentibus gingiuisq; inimicum.

De Sero.

Serum abſtergit, parum nutrit, & aluum leniter ſubducit.

De Caſeo.

Caſeus quò recentior & pinguior, eò melior eſt: recens, frigidus & coctu difficilis obſtructionem & calculos parit: vetuſtus, putridusque, & tineis confectus excalefacit, & parum nutrit, glutinoſosque humores, vnde calculi gignuntur, potiſſimùm, ſi vinum bibatur, gignit.

Butyrum.

Butyrũ moderate humidũ & ca-

calidum eſt, pectus & pulmonem iuuat, ſputi eductionem promouet, liberaliùs ingeſtum aluum mollit, in calidis ventriculis in bilem vertitur. Eſt autem potiùs antè, quàm poſt alios cibos ſumendum: fluctuans enim in ventriculo nauſeam & faſtidiũ cibi parit.

De Pinguedine.

Reliquæ pinguedines eaſdem cũ butyro vires habent, condiuntur vtriſque vtiliter alimenta. Pinguedines quò vetuſtiores, eò flauiores & calidiores. Huc & medullæ referantur. Quæ autem in dorſi ſpina continetur, ſtomacho ingrata eſt, ſicut & cerebrum, craſſum, pituitoſumque ſuccum gignit, difficulter coquitur, & in corpus diducitur.

De Melle.

Mel calidum & ſiccum gradu ſecundo, acre, bilioſis inimicũ: pituitoſis verò & ſenibus confert: incidit & abſtergit, ſed facilè obſtructiones parit, ex accidenti tamen. Coctum plus nutrit: crudũ verò magis abſtergit.

DE FRVMENtaceis.

Poſt carnes frumentacea reliquis plùs nutriunt.

Auena.

Auena calefacit, ſiccat, & aſtringit, dyſentericis prodeſt plurimum. Auena toſta magis exiccat.

Hordeum.

Hordeum frigefaciendi, & abſtergendi facultatem habet. Ex hordeo apta ad calidos morbos potio, vulgò aqua hordei dicta, paratur.

Olyra.

Olyra quaſi medium eſt inter hordeum & triticum.

Oryza.

Oryza bene quidem nutrit, ſed difficulter coquitur, aluum aſtringit, alba melior ruffa, cũ lacte cocta plùs nutrit.

Triticum.

Triticum multùm nutrit, & validum ſanguinem gignit.

Amylum.

Amylum parum alimenti præſtat, vim habet refrigerãdi & mo-

dicè exiccandi, partes exaſperatas læuigandi. Quidam ex ijs pultes parant, dyſentericis idoneas.

PANES.

Panes naturæ frumentorum magna ex parte reſpondēt: variè, & ex varia materia conficiuntur. Qui ex puriore farina fiunt, bonū ſanguinem gignēdo, & probè nutriendo reliquis pręſtant. Qui verò farina furfuribus non penitus ſecretis pinſuntur, minùs nutriunt, & ad excretionem, aluū magis irritant. Quandoque ex ſolis furfuribus panes fiunt furfuracei dicti, in magna videlicet annonæ caritate, vel etiam alio tempore, vnde canes venatici paſcuuntur. Alij cum fermento parantur, qui addito ſale probè aſſati optimi ſunt: alij ſine fermento, azymi dicti. Alij ſunt rari, qui faciliùs coquuntur: alij denſi, qui difficiliùs, & non niſi validis ventriculis apti ſunt. Denſorum, alij antè quàm aſſentur in furno, in aquam feruidam conijciuntur, qui difficulter coquuntur, & obſtructiones pariunt. Bis cocti, ſiue nautici panes

ſunt, qui iam in furno ſatis aſſati eximuntur, & per medium diſſecti iterum aſſantur. Tales panes omnium diutiſſimè durát, & minimè propter ariditatem ſitum contrahunt, familiares nautis, & militibus. Panes non probè aſſati crudos humores, et obſtructiones pariunt. Aduſti verò ſanguinem gignunt melancholicum. Recentes & vetuſti nimium pariter vitium habent. Mediæ ætatis ſaluberrimi. Quidam recentibus panibus, vt ex furno extracti ſunt butyrum inſerunt, qui cibus difficulter coquitnr, & obſtructiones viſcerum parit. Vnde præter alia mala grauitatis quidam ſenſus, in dextro præcipuè hypochondrio ſentiri ſolet. Alij butyro lacadunt, eaque ſimul calefacta, pani adhuc calenti immittunt.

De Leguminibus.

Legumina à frumentis proximum locum obtinent: pleraque inflant, demptis putaminibus minùs noxia.

Cicer.

Cicer abſtergit, inflat, lac &

ſemen auget, calculos frangit.

Fabæ.

Fabæ inflant & abſtergunt decoctæ, aliquid inflationis deponunt.

Lentes.

Lentes frigidæ & ſiccæ, mali ſunt ſucci, & ſanguinē melancholicum gignunt. Ius earum aluum ducit. Lentes bis coctæ aluum comprimunt.

Piſa.

Piſum inflat, putaminibus ablatis ſatis nutrit.

De Fructibus.

Fructus prædictis eſculētis minus nutriunt, & magis medicamentoſi ſunt, ex quibus quoſdam nunc ſubijciam: quoſdam verò in ſequenti parte enumerabo.

Caſtaneæ.

Caſtaneę multùm quidem nutriunt, ſed ægrè concoquuntur, & digeruntur, craſſum gignunt ſanguinem, ventrem ſiſtunt, aſſæ vel in liquore aliquo coctæ, crudis præſtant.

Cucurbita.

Cucurbita frigida, & humida

eſt, parum nutrit, ſitim ſedat, vrinam cit, calidis & ſiccis naturis cōfert, pituitoſis verò obeſt.

Cydonia.

Cydonia frigida & ſicca, difficulter coquuntur, aſtringunt, ventriculum roborāt, antea aſſumpta cibos, aluū comprimunt: poſt paſtum verò ingeſta, ad aluū ſubducendam quibuſdā nō parum faciunt.

Caricæ.

Caricæ probè nutriunt, antea alios cibos ſumptæ aluū mitigent: Sæpius ingeſtæ ſcabiem & pruritum cręant, pectori amicæ, & tuſſi medentur, vrinam mouent, renes, iecur, & lienem obſtructione liberant, in calidis naturis in bilem trāſeunt.

Ficus.

Ficus & vuæ, inter fructus principatum obtinent. Ficus validiùs reliquis nutriunt, aluum admodum maturè ducunt.

Mala.

Malorum magna eſt diuerſitas, ſicut & aliorum quorundam fructuum, quæ ex ſubſtantia & ſapo-

ribus dijudicatur. Quæ enim raræ ſunt texturæ, faciliùs coquuntur: quæ denſæ difficiliùs. Dulcia auſteris plus nutriunt: Acida & vinoſa minùs nutriunt, & tenuiorem ſanguinem gignunt. Aromatica reliquis præſtant.

Mala citrea.

Citrei, ſiue Medici mali partes, non eaſdem inter ſe facultates habent. Cortex enim calidus, ſiccus & aromaticus eſt, atque hac ratione cor, cerebrumque corroborat: caro frigida & humida, ſuccus acidus, frigidus & ſiccus eſt, bilem reſtinguit. Semen calidum & ſiccum venenis aduerſatur.

Mala Punica.

Malorum Punicorũ, ſiue Granatorum ſuccus, tantùm vſurpatur in culina, cuius vires pro ſaporum diuerſitate variant.

Meſpila.

Meſpila cruda frigefaciunt, aſtringunt, & ventrem roborant: coctà verò aliquid caliditatis habent.

Nuces.

Auel-

Auellanæ reliquis plus nutriũt, ac difficilè concoquuntur: putaminibus abraſis, ſalubriores ſunt. Iuglandes recentes, humidiores ſunt, & minùs calidæ, ante alios cibos ſumptæ aluum mouent: vetuſtiores, ſunt calidiores, comeſtę oris partes exulcerant, ſed in aqua maceratæ putaminibus remotis à viridibus non multum diſtant, amygdalis faciliùs concoquuntur.

Perſica.

Perſica, frigida & humida, facilè in ventriculo corrumpitur, ideoq́ue ante alios cibos ſumẽda, ſanguinem gignũt aquoſum, neruos lædunt.

Pineæ.

Pineæ, calidę & ſiccæ ſunt, difficulter coquuntur, coctæ probè nutriunt, & craſſum ſuccum gignunt, pectori commodant.

Pira.

Pira variant pro ſubſtantia ipſorum, compactione et ſaporibus, ex quibus de facultatibus iudicare oportet. Pleraq; aſtringũt: quędam verò adeò aſtringunt, vt quaſi ſtrangulare comedentes videãtur,

tur, vnde etiam vvûrgebirn dicũtur. Sumenda poſt alios cibos: piſrà paſſa validiùs viridibus agunt.

Pruna paſſa.

Pruna apud nos Vngarica ſunt præſtantiſſima, dulcia molliũt aluum: auſtera contrà comprimũt, & ventriculum roborant.

Siliquæ.

Siliquæ, vulgò panem D. Iohannis vocant, ægrè coquũtur, aſtringunt, & malum ſanguinem gignunt.

De Oleribus.

Olera difficulter coquuntur, parum nutriunt, ac vim medicamẽtoſam habent.

Atriplex.

Atriplex frigida & humida, aluum mollit; bilioſis idoneum olus.

Cerefolium.

Cerefolium eſt calidum, parũ nutrit, additur reliquis oleribus, ſaporis potiſſimùm gratia.

Eruca.

Herba eruca, calida & Venerea herba eſt, capitis dolorem mouet.

Malua.

Malua etſi vtile olus eſt, & veteribus familiaris fuit, apud nos tamen in culina vſurpari deſijt: aluum propter viſcoſitatem mouet.

Spinachia.

Spinachia olus eſt humidum & eſui non ineptum, maximè vuis paſſis conditum.

Vrtica.

Vrtica raro, & non niſi admodum recens in noſtris culinis verno tépore vſurpatur, pectori prodeſſe videtur.

De *Radicibus.*

Radicum ferè eadem eſt ratio, quæ olerum.

Napi.

Napi, flatuitoſi ſunt, & craſſum ſanguinem gignunt, Veneri ſeruiunt.

Paſtinaca.

Paſtinaca calida & humida, difficulter coquitur, rapis minùs nutrit, cit vrinam, inflat, & Venerem excitat.

Rapa.

Raporum varia ſunt genera,

alia grandia & aquoſa, quæ tenuẽ gignunt ſanguinem: alia verò minora & compactiora ſicciora que, quæ plus quidem nutriunt, ſed difficiliùs concoquuntur.

De tuberibus & fungis.

Tubera & fungi inter omnia alimenta infirmum locum obtinent, ac nõ ſolùm parũ nutriunt, verùm etiam vitioſum ſanguinẽ gignunt.

DE POTIBVS.

Quatuor ſunt præcipua potus genera. Vinum, mulſa, cereuiſia, & aqua.

De Aqua.

Aqua eſt omnium primus potus, non nutrit, ſed tantùm medicamenti ritu alterat & humectat, promouet, ſicut & alia liquida, ciborum penetrationem, & in corpus digeſtionem. Calidis naturis aptiſſimus potus, non incommodè ea validiora vina diluũtur; aptiſſima materia eſt coquendis alimentis. Variæ ſunt ſpecies aquarum, optima eſt leuiſſima, id eſt, quæ citò calefit & citò frigefit, id eſt, quæ citò alteratur.

De Vino.

Vinum nutrit, calefacit, & ſiccat, recens parum, vetuſtius magis. Modicè ſumptum cor roborat, mentem exhilarat, vires recreat, debilitatem ſtomachi à frigiditate emendat: immodicè verò hauſtũ, caput offendit, neruos effeminat, maximè à ieiunis ingeſtum. Vinum meracum calidis inimicum. Aquoſum tum aſpectu, tum viribus ad omnia aquã vtilius. Iuuat concoctionem, vrinas & ſudores mouet.

Muſtum inflat, obſtructiones parit, quibuſdam aluum turbat.

De Mulſa.

Mulſa eiuſdem temperamenti eſt, parum nutrit; facilè in bilem vertitur, meracior potiſſimùm, & in ventriculo calido. In ijs verò, qui anguſtas venas habent, obſtructiones, & difficilem ſpirationem parit.

Cereuiſia.

Cereuiſia omnis calefacit, alia tamen alia magis: triticea quàm hordeacea, craſſa quàm tenuis

nuis plus nutrit, quemadmodum in libello de Cereuiſiarum natura demonſtrauimus.

DE PRAEPARATIONE CIBORUM.

De Elixatione.

Prius dixi cibos coctos, crudis eſſe meliores. Variè autem coquuntur, plerique elixatur in aqua. Nõ ſatis elixa, difficulter coquuntur, & firmis ventriculis ſolùm conueniunt: nimium verò elixa, vires omnes ferè in aquam deponunt, nec palato grati ſunt. Terminus elixionis, eſt, vt cibi neq; nimis tenaces, nec nimis friabiles ſint.

De Aſſatione.

Aſſationi aptiſſimæ ſunt carnes humidiores: vt, agninæ, vitulinæ, pulli gallinacei, columbini: ſicciores verò, niſi lardo transfigantur, aut largo butyro farciantur, ſiue inter aſſandum perfundantur, nimis duræ redduntur. Vtrum verò aſſa elixis ſint humidiora, inter Ariſtotelem, & Medicos non cõuenit: Ariſtoteles humidiora, Medici cõtra ſicciora illa eſſe tradunt: Habent vtrinque ſuas rationes:

nam quidquid eſt natiuæ humidi-
tatis, diu elixando elicitur, quod
craſſius & ſiccius eſt, remanet.
Dum verò aſſantur carnes, quod
humidum eſt, exhalare non poteſt
propter exteriorem partem, quæ
ſicco calore abſumpta humidi-
tate craſſior efficitur: Mea ve-
rò hæc eſt ſententia, aſſa habere
inæqualem temperaturam. In-
teriora eſſe humidiora: exterio-
ra verò, quæ propriè aſſa, ſunt ſicci-
ora.

De Toſtione.

Toſtio eſt cognata aſſationi, & fit
vel ſuper craticulam, vel ſuper
carbones.

De Frixione.

Sicut elixatio fit in aqua, aut a-
lio liquore: ita frictio fit in pingue-
dine. Friguntur aut cruda, aut pri-
ùs cocta. Frixa aſſis ſunt deteriora
& ventriculo bilioſo aliena. Cog-
nata huic eſt coctio, quæ fit, dum
alimenta in maſſam panis incluſa
aſſantur: eſt media inter aſſatio-
nem, & elixationem. Videntur
hoc modo cocta humidiora eſſe e-
lixis.

DE CIBIS COM-
poſitis.

Queſtio.

Vulgò dici ſolet, naturam maxime gaudere ſimplicibus: & Plinij ſententia, homini cibus vtiliſmus ſimplex, celeberrima eſt apud doctos. Non intempeſtiuè igitur, aut ineptè hoc loco quæritur an cibis compoſitis liceat vti.

R. Docti cum Plinio exceſſum & in miſcendis, condiendiſque cibis luxū improbant: ideo ſequitur aceruatio ſaporū peſtifera, & condimenta perniciofiora. Celſus duas haud contemnendas addit rationes, cùm ita ſcribit. Condita omnia, duabus de cauſſis inutilia ſunt quoniam & plus propter dulcedinē aſſumitur, & quod modo par eſt, tamē ægrè cōcoquitur.

De conditione ciborum.

Condiuntur variè cibi, vel vt vitium ipſorū aliquod caſtigetur, hoc conſilio piſcibus aromata adijciuntur, vt frigiditas, & humiditas ipſorum ſuperflua corrigatur: vel vt palato magis ſapiant, ita ſal, acetum, mel, ſaccharum, & ſimilia

ædulijs addũtur: vel vt ſeruari ad tẽpus poſſint. Hoc pacto piſces, & carnes ſale, cucumeres, oliuæ muria condiuntur, & aſſeruantur.

Idem de potibus iudicium. Cõdiuntur potus herbis, radicibus, vel ſeminibus iniectis nunc antè, quàm feruere incipiunt: nunc verò poſtquàm deferbuerunt colligatæ in faſciculum, in mundum linteolum incluſæ, & in dolium ſuſpenſæ. Condiuntur & melle vina hic potus οἰνόμελι Græcis, Latinè mulſum dicitur, & veteribus familiariſſimus fuit. Adiectis verò aromatis οἰνόμελι, vel mulſum aromaticum rectè appellatur. Noſtri pro melle ſaccharum accipiũt: qui potus non tantùm ſuauior, ſed etiam ad pleraque vtilior eſt: vterque nunc claretum vocatur.

PARS QVARTA

De condimentis Alimentorum, & Aromatis.

Condimentorum, alia ſunt exotica & aromata: alia vulgares materiæ, de quibus ſimul dicetur.

Abſinthium.

Abſinthium quantumuis amarum, in culina & cellis vſum habet. Eſt calidum & ſiccum, condiuntur eo vina & cereuiſiæ, quorũ æſtiuo tempore, ad bilem per vrinam euacuandam, frequens vſus eſt. Præſeruant etiam corpus à multis morbis: verùm caput non nihil tentant. Condiuntur & oua frixa ineunte vere recentis abſinthij aſparagis.

Acetum.

Acetum frigidum primo gradu, ſiccum tertio tenuat & incidit craſſos, & glutinoſos humores, ciet appetentiam cibi, gratiſſimum multorum ciborum condimentum, putrefactionem prohibet, ſiccis & frigidis inimicum eſt naturis, neruis, neruoſis partibus nocet.

Allium.

Allium crudum mali ſucci eſt: coctum verò vtilius aſſumitur aduerſatur venenis, ideoque theriaca ruſticorum à veteribus dictum eſt, calidas temperaturas lædit, caput maximè & oculos, flatus & diſſipat, & gigni prohibet.

Amy-

Amygdala.

Amygdala dulcia moderatè calefaciunt, tenuant, incidunt, nutriunt quidem benè, ſed ægrè coquuntur, pectori amica. Qua ratione vulgo aluum aſtringere dicantur non video. Lac amygdalinum, optimum nutrimentum præbet. Amara ieiuno ſtomacho ſumpta ebrietatem arcere dicuntur. Oleum amygdalarum in his terris non niſi in pharmacolijs vſurpatur

Anetum.

Anetum calidum & ſiccum, multorum ciborum condimentum eſt, vſurpatur & herba & ſemen, oculis inimicum, inflationes leuat.

Aniſum.

Aniſum hepati affectibus vetuſtis, ventriculo frigidiori, & viſui confert, raro cibis adijcitur, flatus diſcutit, lactis copiam facit.

Artemiſia.

Eſt calida & ſicca planta, familiaris mulieribus, condiuntur ea

vina & cereuiſiæ, viris quoque nõ inutilis, faciuntur eadem ſuauiter anſeres aſſandi.

Aſplenum.

Aſpleno vina & cereuiſiæ cõdiũtur, vtiliter ad ſplenẽ corroborãdũ

Beta

Beta, vt alia olera, parum nutrit, calefacit & ſiccat contrarias facultates ſecundas habet, ſuccus eius aluum ſoluit, ſubſtantia aſtringit.

Betonica.

Potus betonica cõditi, caput pituitoſum iuuant, & calculoſis cõmodant

Braßica.

Braſſica calida & ſicca primo primo gradu, malũ & melãcholicum gignit ſanguinem, viſui obeſt, ius eius aluum ſoluit: corpus verò cõprimit mirum cur tanti à Catome fiat. Cum carne pingui cocta, minus noxia eſt. Hiberna braſſica æſtiua præſtat, nam & dulcior & coctu facilior.

Caryophylla.

Caryophylla cor, hepar & ſtomachum roborant.

Caryophyllata.

Radicibus caryophyllatæ non vtilitatis tantum, verum etiam ſaporis gratia potus condiuntur.

Caryophylli flores.

Acetũ caryophyllorũ florib⁹ cõditũ & bene ſapit, & ſalubre eſt.

Carum. alcharavia

Carum ſtomachum roborat, cõcoctionem iuuat, flatus diſcutit, quo non inutiliter cibi maximè panes condiuntur, aluum ſiſtit, vrinam mouet.

Cappares.

Cappares proprietate quadã lieni amica ſunt conditi ſale, aqua calida abluti, cum aceto & oleo ſumpti lienoſis proſunt, & cibi appetentiam faciunt.

Centaurium.

Centaurij propter inſignẽ amaritudinẽ, vnde à veteribus fel terræ dictum, rarus vſus eſt, quidã ceruiſias eo condiunt.

Cæpæ.

Cæpæ multis cibis magnam gratiam conciliant, & quibuſdam gentibus pro aromatibus

vſurpantur: calidæ ſunt, attenuāt, caput grauant, viſum turbant, maximéque in butyro frixæ, coctæ minus noxiæ. Quidam & crudis veſcuntur cum pane.

Ceraſa.

Ceraſa pro diuerſitate qualitatum diuerſas vires habent: dulcia aluū molliunt, ideoque ante cibos alios ſumenda: auſtera comprimunt. pulpa & ſuccus ceraſorum inſpiſſatus, in condiendis tum carnibus feris potiſſimùm, tum piſcibus vſum habent: eſtur pulpa per ſe panii inductus.

Cyminum.

Cyminum calidum & ſiccum tertio gradu: ventriculum iuuat, diſſipat ventoſitates, vrinam mouet.

Cinnamomum.

Cinnamomum bonum calefacit & exiccat tertio gradu, valde attenuat, & queadmodū alia aromata corroborat, ac magnum vſum non tam in officina medicamentoria, quàm in culina habet.

Crocus.

Crocus ſtomacho gratus, iuuat conco-

concoctionem, bonum colorem reddit, confert ad facilem ſpirationem, immodicè vſurpatus caput grauat. Eſt & odor croci, capiti infeſtus.

Cucumeres.

Cucumeres conditi muria & anetho grati ſunt ſtomacho æſtuanti: addito verò pipere & aceto pituitoſo nihil obſunt.

Helenium.

Ex helenio conficitur gratiſſimum ori & ſaluberrimum pectori vinum, nec non mulſa & cereuiſia.

Hyſſopus.

Hyſſopo ad potus condiendos vtimur, iuuat pectus & caput, frigidis & craſſis humoribus moleſtata.

Iuniperi.

Fructibus Iuniperi in farciẽdis auib⁹, & anſeribus non incommodè vtimur.

Lactuca.

Lactuca frigida & humida conciliat ſomnum, & frigido ventriculo nocet, niſi Zingibere, aut alio aromate corrigatur, vi

ſum hebetat. Miſta naſturtio, additis aceto & oleo, cômodum eſt acetarium.

Lauendula.

Lauendulæ floribus condiuntur quandoque vina, verum rarò. Côditur & acetum ijſdem ad corroborandum caput.

Limones.

Limonibus conditis muria, in his terris vtimur ad aſſa: ſed multò præſtat eos in orbiculos inciſos cum carnibus & piſcibus coquere.

Macis.

Macis facultate ſua aromatica cor roborat, ventriculum & coctionem iuuat.

Meliſſa.

Meliſſa, antequàm cubitum itur, ſumpta, bona facit inſomnia, ſicut braſſica mala facere dicitur. Vinum meliſſæ mulieribus, & in cordis affectibus optimus eſt potus.

Menta.

Menta varios vſus habet, frigido hepati confert, ventriculum roborat, coctionem iuuat, compeſ-

péſcit vomitum, additur caſeis, nõ caloris tantùm, ſed etiam ſaporis gratia.

Naſturtium.

Vſurpatur in acetarijs, per ſe, vel cum lactuca: calidis ventriculis obeſt.

Nux aromatica.

Nux aromatica, calida & ſicca ſecundo gradu aſtringit, ſtomachũ hepar atque caput roborat.

Oleum.

Oleum ex oliuis maturis factũ, varios vſus habet, quidam loco butyri vſurpant: Dulce & recens eſt optimum: ex immaturis verò expreſſum ventriculo amicum.

Oliuæ.

Oliuis muria conditis, viridibus enim in his terris caremus, ad ſſa tantùm vtimur, magis gulæ uàm vtilitatis gratia, alioqui an e alios cibos ſunt ſumendæ.

Papauer.

Papauer album nigro præſtat, frigerat, ſomnum conciliat,

ſe-

ſemine vtimur in panibus & plaſcentis. Oleo papauerino quidam tempore quadrageſimę butyri loco vtuntur.

Petroſilinum.

Herba & radices petroſilini, in culina vſum habent, confert calculoſis.

Palmulæ

Palmulæ ſiue dactyli difficulter coquuntur, craſſum gignunt ſanguinem, obſtructiones pariunt, inflant, dẽtibus gingiuiſque noxiæ.

Piper.

Piper coctionem frigiditate impeditam adiuuat, craſſos & glutinoſos humores attenuat & incidit, ventoſitates digerit. Album acrius, & ſtomacho commodius nigro.

Porrum.

Porrum mali ſucci eſt, ſtomacho nocet, viſum ſæpius comeſtum hebetat, grauia inſomnia & capitis dolores parit.

Raphanus.

Raphanus calefacit & extenuat, ſumitur iuuandæ coctionis gratia.

Roſæ.

Ex roſis varij vſus acetum fit, conficitur & ſaluberrimum vinum exijſdem, & ſaporis gratiſſimi.

Roſmarinus.

Hac herba, & cibi & potus condiuntur.

De Sale.

Sal inter omnia cōdimentū optimum eſt, ſine quo inſipida ſunt edulia, ac ſtomacho parum grata: calefacit, exiccat, & modicè aſtringit, ideo res à corruptione diu tuetur. Immodicè vſurpatū ſitim excitat, & ſanguinem adurit.

Saluia.

Saluia varios vſus in culina præſtat, carnes veruecinæ aſſandæ vtiliter ea traijciuntur, & folia fruſtis anguillarum aſſandis interponuntur, & eſt vini condimētum optimum.

Saccharum.

Saccharum ſuauiſſimum eſt cōdimentum & minimé noxium, in pleriſque tutius melle vſurpatur, commanſum dentes quorundam offendit. Vinum ſacch. r ɔ cō

ditum, eſt potus ſaluberrimus, vt prius dixi.

De Sinapi.

Sinapi calefacit, ſiccat & humiditates ſuperfluas ventriculi abſumit, tritum & aceto, vel alio apto liquore dilutum, vtiliter ſale conditis, & fumo duratis cibis condimenti loco additur. Calidis & ſiccis ventriculis aduerſatur, & ſingultum, ſicut alia pleraq; acria mouet.

Vuæ.

Bonum quidem ſuccum gignunt, ſed tenuem. Copioſius iuſto cum pelliculis ingeſtæ aluum mouent. Vuarum varia ſunt genera, & differunt eſſentia, ſaporibus, coloribus, alijſque circunſtantijs.

Vuæ paſſæ.

Vuæ paſſæ non tam gulæ, quàm hepati & pectori gratæ ſunt, & magnum vſum in condiendis alimentis habent,

De Zingibere.

Zingiber vim aperiendi habet, iuuat coctionem, calefacit, flatus diſcutit.

Appendix.

tandum quod quando indefi⸗
ſcribitur, remaliquam capiti
ſtomacho amicam , vel alie⸗
eſſe, non omne caput aut ſto⸗
chus omnis intelligi debet, quē
modum vulgus iudicare ſolet:
tantùm certæ quædam ſpeci⸗
, vt quando meliſſa cor iuuare
ditur, intelligendū eſt cor fri⸗
ius . Roſæ corroborant cor
iſſimùm calidius : ſic de reli⸗
s. In quibuſdam ad cauendam
biguitatem, diſtinctio ab aucto
us additur. Vt quando hyſ⸗
us pectori prodeſſe docetur ad
ur frigidis & craſſis humoribus
leſtato, Verùm id non in om
us fit, quare lector, de quibus
elligenda ſint indefinitè poſi⸗
diligenter expendat , & non
miſcuè rebus ad vnū aliquod
ctantibus vtatur.

Expoſitæ ſunt hactenus gene⸗
es alimentorum condimento⸗
mque facultates . Quid au⸗
m cuique peculiariter amicum,
t noxium ſit, non in libris tradi
teſt: ſed quotidiano vſu explo⸗
ri & obſeruari debet. Eſt enim
culta quædam rerū, & corporū

Inter ſe cognatio & diſcrepantia, quæ non niſi experientia deprehenditur. Sicut alijs nihil áceto gratius eſt: ita quidam adeò ab eo naturaabhorrent, vt ne odorem quidem ferre poſſint. Quibuſdam caſei ſunt in dilicijs: alij rurſus eoſdem prorſus auerſantur. Quædam conueniunt quidem: ſed non ſemper, aút tempore quolibet. Quare quiſque familiariter ijs fruatur, quæ ſuæ naturæ optimè conuenire, & amica eſſe intelligit: contraria quàntum poteſt fugiat.

AD LECTOREM.

QVoniam ſuprà monui, nõ niſi peritum Medicum ad valetu dinis curam adhibendum eſſe: nũc quibus is notis cognoſcendus, & ab impoſtoribus paßim publicé, priuatimq; graſſantibus diſtinguendus ſit ſubiectis thematis oſtendam. Pudendum eſt, pleroſq; li teratorum diſcrimen illud non tenere & obſeruare: ſed imperitæ multitudinis modo, promiſcué quoſuis, qui artem medicam profi teri audent, aut vnum atq; alterũ experimentum iactant admittere, & quod maximé dolendum eſt, etiam alijs comendare, ac quod in ſua profeſſione fieri nequaquã volũt, propugnare. Quorũ auctoritate & exemplo idiotæ magis quã vllis rationibus mouentur, atq; ſe ducuntur, nec quidquam pẽſi habẽt, quo Medico vtãtur. Ita nec arti medicæ honor ſuꝰ tribuitur, nec veris artificibꝰ præmia iuſta ſoluũtur.

THEMATA,

CONTINENTIA DISCRIMINA ET NOTAS *medicorum genuinorum & ſpuriorum, diſputata Iſlebiæ contra Erhardum Steinwaſſer, Cantorē Northuſianū, anno Domini* 1558.

I. Medicinam immenſam quoddam pelagus eſſe veriſſimè Ioannes Damaſcenus ſcribit.

II. Idem enim & Hipp. Medicinæ parens his verbis teſtatur. Vita breuis, ars longa, occaſio præceps, experimētum periculoſum, iudicium difficile.

III. Ad quam probè diſcendam primùm omnium natura idonea, ſiue naturalis quidā impetus, ſine quo nemo artifex fieri poteſt, requiritur, iuxta illud Horatij.

Tu nihil inuita dices, facieſue Minerua.

IIII. Cùm autem Medicina, ars longa & difficilis ſit, nec Medici,

ungi è terra ſubito erumpere, per ſe ex ſolis mutis magiſtris i poſſint, præceptore omnino is eſſe ſequitur.

Haud facile enim eſt veterũ li s intelligẽtia cõſequi, ſi deſint eos curioſe enarrent Ga. teſte.

Ac diſcentes ex ſolis mutis giſtris, non dubium eſt ſæ falſa pro veris, rectore ſtudio n deficiente, arripere, & multas urdas opiniones ex vaga lectio concipere.

I. Hinc quoque idem auctor er primas & potiſſimas cauſſas, tam pauci in Philoſophia, & dicina excellant, præter natu n non idoneam, parum aptam itutionem numerat.

II. Deinde aſſidua probato n auctorum lectio, quæ quaſi nentum ingenij eſt, accedat o rtet.

Nec ſatis eſt etiam præcepta liciſſe, niſi quis cum præceptori s diu multũque circa ægrotos ſatus fuerit, & iuſtum diſcen empus expleuerit.

Multa enim quotidiana in ctio, & occaſio præceps monet.

quæ in libris Medicorum nõ ſpeciatim traduntur.

xi. Quoniã verò Medicina non circa coria bubula, vt coriaria, nec circa lutum aut lapides in quibus impunè aliquid experiri licet, verſatur: ſed circa corpus humanum, nobiliſſimum Dei opificium, in illo ſine doctrina, & rerum vſu experimenta agere periculoſum & crudele eſt.

xii. Scire autem quid conducat, quantum, quomodo, & quo tempore exhiberi debeat, difficile eſt, & magnum iudicium requirit.

xiii. Cùm ergo ars medicina tã difficilis, & propter obiecti dignitatem tam periculoſa ſit, non niſi artificibus, vt eam exerceant, permittendum eſt.

xiiii. Nemo enim artem, quam non norit, profiteri debet, aut vllo iure poteſt.

xv. Et cùm collegia ſutorũ, pellionum, cerdonum, & ſimilium opificum non admittant aut ferant ſpurios, idq; auctoritate legũ multò minus in arte medica fuci, in rebus publicis tollerari debent.

xvi. Quare iniuſtè faciunt, qui id genus hominum admittunt, recipiunt, & admoniti tolerant: multò magis verò, qui ipſorum inſcitiæ, impudentiæ & temerati patrocinantur.

xvii. Sicut autem fuci ſuas certas notas habent, quibus ab ipſis apibus dinoſcuntur: ita quoque ſpeudomedici euidentibus ſignis, ab artificibus, ſicut cuprum ab auro, diſtingui poſſunt.

xviii Præcipua & certiſſima nota eſt inſcitia, quæ non niſi ab artificibus tum à priori ſcitur, tum à poſteriori deprehenditur. Non enim ſutor vltra crepidam, vt dici ſolet.

xix. Hæc rurſus alias notas habet, quæ ab omnib⁹ intelligi poſſũt & in iudicando obſeruari debent.

xx. Prima fuci, ſiue pſeudomedici nulla teſtimonia Academiarum, aut præceptorum habent, vnde nec quid didicerint, nec quouſque progreſſi ſint ſciri poteſt. Neque enim omnes, qui profitentur artem, artifices ſunt, ſicut non omnes citharœdi qui citharas habent.

xxi. Secunda. Non ſunt Reipublicæ aliorum Medicorum ritu iuſiurando, ad debita officia præſtanda obligati: vnde ſine conſcientia liberè in genus humanum graſſantur, ſiue ſeruentur ægroti, ſiue pereant. Et ſunt verè ij Medici, quibus, Plinio teſte, hominem occidiſſe ſumma impunitas eſt.
xxii. Tertia. Non ſunt legitimè vocati, ſed vel aſtu irrepſerunt vel à quibuſdam hominibus plebeis, aut alioqui imperitis, priuatim relicta conditione ſua adducti ſunt.
xxiii. Quarta. Nec conſenſu Magiſtratus, aut aliorum Medicorum medicinam faciunt, quod tamen omnino neceſſarium & in alijs artibus vilioribus vſu receptum eſt. Nam nemo extraneus in Repub. vt ciuis, verſari debet.
xxiiii. Quinta. Fugiunt Medicorum, & aliorum philoſophorū peritorum conuerſationem, vt veſpertiliones Solem meridianū, ac cum ſimilibus verſantur. Iuxta illud, Simile ſimili gaudet.
xxv. Sexta. Non audent in publico

publico, & præſentia doctorum virorum de arte, quam profitentur, cum alijs Medicis diſſerere, aut confeſſionem aliquam ſummam Medicinæ continentem exhibere, diſputandam proponere, vel in lucem edere.

xxvi Septima. Nec volunt cenſuræ Academiarum, quæ nõ ſolũ vt doceant artes, ſed etiam vt eos, qui profiteri cupiunt, explorent, conſtitutæ ſunt, ſeſe ſubijcere.

xxvii. Octaua. In priuatis verò conuenticulis & apud idiotas ſunt facundiſſimi, & de re Medica verboſiſſimè concionantur.

xxviii. Nona. Magis ſectantur plebeorum conuiuia, quàm Medicorum commentaria.

xxix. Decima. Tales fuci tantũ captant auram popularẽ, & magis obſequio, quam rectè curandi modo amicos ſibi conciliare, & quacunque poſſunt arte placere ſtudent. Quod & Galenus ſummus Medicorum teſtatur, dum ſcribit. Non qui melius artem callent, ſed qui aptiùs adulari norunt in pretio magis ſunt.

xxx. Vndecima. Eſt etiam inſignis nota impoſtorum, & quæ meritò ſuſpecta eſſe debet, paciſci cum ægrotis, & partem aliquam, ſiue dimidium mercedis in præſentia auferre.
xxxi. Duodecima. Nec notam inſcitiæ effugere poſſunt, qui medicamentorum ſuorum deſcriptiones in publicis officinis legendas, iudicandaſque exponere verentur.
xxxii. Decima tertia. Sunt & aliæ notæ impoſtorum, valde vbique locorum vſitatæ, quarum cõmuniſſima eſt, diuinatio ex vrinæ inſpectione.
xxxiii. Decima quarta. Denifire omnies morbos, & cauſſas eorum non ſolùm internas, ſed etiã externas, vt cibum, potum, caſum, percuſſionem &c. Item ſpeciem morbi, pauciſſimis exceptis, ſimiliter locum affectum ex vrina, euidens impoſturæ teſtimonium eſt.
xxxiiii. Decima quinta. Multò vero euidentior nota, & quaſi demonſtratio eſt, aliquid certi de ſexu pronuntiare, & vtrum mulier virgo ſit, vel non: ſi non,

vtrum grauida nec ne, quid conceperit. Quemadmodum ſacrificus ille Herbſlebienſis profiteri dicitur.

XXXV. Decima ſexta. Affirmare veteros Medicos, vt Hipp. Galenum, Auicennam non habuiſſe perfectam doctrinæ de vrinis cognitionem; vt Erhardus ille in publico effutiuit, impudens mēdacium eſt.

XXXVI. Decima ſeptima. Similiter aſſerere, Medicos ideo reijcere, & damnare diuinationem ex vrinis, quòd ipſi non intelligāt artificiū illud, inſignis calūnia eſt.

XXXVII. Decima octaua. Deſcribere & exhibere ęgrotis pharmaca, poſt ſolam vrinæ contemplationem, quod eidem quoq; familiare eſt, nō minùs, quàm priores notæ, impoſtores arguit.

XXXVIII. Decima nona. Vnū exhibere medicamentum omnibus, & in omni morbo, aut in pleriſque, ſiue ſit aqua vitæ, vt vocāt, ſiue aqua, vel oleum cinnamomi, aniſi, extractio hellebori nigri, decoctum ligni Gaiaci, aurum vitæ, oleum vitrioli, oleū antimonij, aut

quidquid excogitari poteſt, impoſtoris, non Medici eſt. Nullum enim remedium, quantúuis præſtans, in omni caſu valet.

XXXIX. Trigeſima. Eſt & hoc minime dubium inſcitiæ & impoſturæ argumentum, mox ab initio curationis topica ante vniuerſalia medicamenta adhibere. Cùm, exempli gratia, oculum ante totum caput rectè curare non liceat, neque hoc ante totum corpus, quemadmodum rectiſſimè Galenus docet.

XL. Prędicere certum deiectionum alui numerum poſt medicamentum purgatorium exhibitũ, quãquam id Medici quidam quoque faciunt, impoſtoris ſignũ eſt. Idem enim catharticum in alijs propter naturarum diſſimilitudinem aliter purgat.

XLI. Poſtremò curare deploratos, eisque certam ſalutem polliceri contra Hippocratis, aliorumque probatorum Medicorũ ſententiam, qui deſperatis medicinam adhibere prohibent, impoſtoris eſt.

Hæ ſunt potiſſimæ notæ (quas

tamen omnes concurrere non eſt neceſſe: ſed ſatis eſt, ſi præcipuæ coincidăt, reliquas breuitatis cauſſa omitto) quibus pſeudomedici deprehenduntur, & impoſtores à Medicis diſtinguuntur.

DE MEDICIS.

Plinius lib. 29. cap. 1.

Itaque herculè in hac artium ſola euenit, vt cuicunque Medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, cùm ſit periculum in nullo mendacio maius. Non tamen illud intuemur: adeò blanda eſt ſpirandi pro ſe cuique dulcedo. Nulla prætereà lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt: Medicoque tantùm hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt. Quinimo tranſit conuicium, & intemperătia culpatur, vltroque qui periere arguuntur.

FINIS.

IOANNIS PLACOTOMI MVR-STADII SCHOLASTI-cæ quædam, & Philoſophicæ Diſputationes.

HONESTISSIMIS, ET PRVDENTISſimis Viris, Conſulibus, & Senatoribus, cæteriſque Toronienſis Reipub. gubernatoribus, Ioannes Placotomus.

S. D.

Qui ſcripta hoc tempore edunt, ea vel illuſtribus perſonis, vel celebribus Ciuitatibus, vel priuatis amicis dedicare ſolent, vt aut apud ignotos innoteſcant, aut notorum amicitiam ac beneuolentiam cõfirment, arctioremq; reddant. Quorum conſiliũ & probo, et hoc loco ſequor, viri honeſtiſsimi & prudentiſsimi. Nam vt amicitiã illorũ, quibus in noſtra Rep. notus ſum familiariter, cùm hoc, tum alio quocunque officiorum genere poſsim retinere annitor, tũ verò apud reliquos in notitiã venire cupio. Id nulla alia ratione, q̃ ſi ſcriptũ aliquod vobis dedicarem fieri poſſe mihi perſuaſi. Verùm de materia ali-

quan

quādiu deliberaui. Nam Medica à paucis intelligitur & expetitur, Philoſophica verò & Scholaſtica multis vſui eſſe poteſt. Huius generis ſunt diſputationes, quas nunc offero. Cùm enim in Schola Regiomontana Commentaria P. de anima, Carmina Eobani Heßi de Tuēda ſanitate, Dialogos quoſdā Eraſmi Philoſophicos, et ſimilia ſcripta auditoribus meis extra ordinarie enarrarē, inſigniores ac vtiliores locos, in breuia capita quandoq; cōtraxi, eosq; diſputādos propoſui, partim vt vtiliora retractādo fierēt notiora, partim vt preceptorū Dialecticę vſum in talibus exercitijs rectius perſpicerēt adoleſcētes: ſumpſi interdū et alias materias, quas vel ratio ſtudiorū ipſorū exigere videbatur, vel occaſio aliqua offerebat. Cuiuſmodi ſunt, de ordine, de obedientia, de legibus, de virtute, de amicitia, &c.

Eas diſputationes omnes mox poſt diſceſſum meum ex Regiomonta-

monte, cùm otium eſſet collegi, et ordine congeſtas veſtri honoris, liberorumq́; veſtrorum, qui literis operam nauant, commodi gratia, in publicum nunc emiſi, vt in talibus argumentis ipſos quoque à præceptoribus ſuis exerceri curetis. Vehementer enim illos errare exiſtimo, qui in particularibus Scholis eiuſmodi diſputationes improbant, & ad Academias ſolùm pertinere cõtendũt. Quomodo enim Dialectica rectè doceri, aut intelligi abſque ſuis proprijs exercitijs poteſt? Non dubito autem, cùm ſtudium meum pro veſtro candore ſitis probaturi, idq́; vt faciatis, à vobis omnibus honeſtiſſimi & prudentiſſimi viri vnicè peto. Quòd ſi feceritis, alijs quoq; maiora, vtilioraq́; proferendi anſam præbebitis. Veriſſimùm eſt enim quod poëta ſcribit.

Sint Mæcenates, nõ deerũt Flacce Marones,
Virgiliũq; tibi vel tua rura dabũt.

Quod

Quod reliquum eſt patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti precor, vt conſilia veſtra in conſtituenda Schola ad ſui nominis gloriam & Reipub. veſtræ ſalutem clementer gubernet. Valete. Dantiſci Cal. Septembris.

GEORGII ÆMILII, IN LIBELLVM

Diſputationum ſeu Propoſitionũ Ioannis Placotomi, Epigramma.

PRouida ſicut apis varias circũuolat herbas,
Atq; ſibi ſuccos hic ſtudioſa legit.
Quorũ alij dulces, alij penetratius acres,
Tẽperet vt varius cõdita mella ſapor.
Sic quoque Placotomi doctiſſima cura Ioannis,
Inſeruit ſtudio docta Iuuenta tuo.
Themata dũ varijs ex artibus vndique lecta
Colligit, argutis excutienda Scholis.
Et quaſi materiã de re quacunque miniſtrans,

Diſceptaturis vtile promit op⁹.
Hic habet, vnde graues Dialectica ſoluere nodos, (at.
Et rerũ cauſſas explicuiſſe que-
Hęc etenim varijs doctrinæ fontibus hauſta, (ne genus.
Suppeditāt Sophiæ diuitis om-
Hic doctrinarũ ſeges eſt, & plurima merces, (emi.
Vnde poteſt fruct⁹ cognitionis
Philoſophi quidquid triplici in diſcrimine tractāt, (docēt.
Naturā, mores, dũ Logicenq;
Quidquid habēt artes ſepteno fonte fluētes;
Illius & partē cõtinet iſte liber,
Plurima precipuè Phyſices elemẽta miniſtrat, (nā ſuas.
Obtinet & partes hic Medici-
Quæq; homines ſpectāt ſeruandā rite Diætam, (iuuēt.
Et quales epulæ, qualia pocla
Hîc quoque ceruiſię variũ genus, & bona mulſa
Cũ ſucco veniũt excutiēda ſuo.
Quis modus vtēdi, q̃ noxia crapula vitæ, (brietas.
Quātaq; deformis dāna det e-
Hęc & plura breui ſunt hoc agitata libello,

Qui

Quidoctrinarū cōtinet ōne gen'.
Hūc igitur ſtudioſa cohors cognoſce laborem, (tuis.
Qui poterit ſtudijs vtilis eſſe
Si quid & ingenio frugis perceperis inde,
Auctori grates officioſa refer.
Crede mihi meſſem ſeges hæc tibi proferet amplā, (manū.
Tu modò nō ſegni collige farra

DE FINE STVDIORVM.

DISPVTATIO I.

I. Sicut boni iaculatores certam ſibi metam præfigunt, ad quam telum dirigant: ita verò ſtudioſos certum ſibi ſcopum, ad quem labores ſuos referāt, proponere neceſſe eſt.

II. Etſi autem quælibet ars proprium, & ſibi peculiarem finē habet: communis tamen & vltimus, vt totius vitæ, ita ſtudiorum ſcopus eſt gloria Dei, & vtilitas proximi.

III. Quæcunque igitur ad hæc non ſpectant, nec diſcenda, nec

probāda, ſed procul fugiēda ſunt.
IIII. Gloria Dei præcipuus atq; extremus ſcopus eſt, ad quam illuſtrandam ſummis viribus contēdere in omnibus actionibus noſtris debemus, iuxta illud, ſiue editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.
V. Proximum deinde quiſque in ſua vocatione, eodem modo quo ſe iuuari cupit, iuuare debet.
VI. Id fit vel publicè in Eccleſia aut Repub. vel priuatim erga ſingulos mutuis quibuſdam officijs.
VII. Publicæ vtilitati priuata ſemper cedere debet.
VIII. Quemadmodū inter Deū & homines diſcrimen eſt: ita quoque inter homines alius alio propior eſt.
IX. Iuuandus igitur proximus quiſque præcipuè, deinde reliqui ſuo ordine.
X. In hanc ſententiam non malè in prouerbio dicitur, Tunica pallio proprior eſt.

DE PHILOSOPHIA,

DISPVTATIO II.

I. Philoſophia (quæ eſt diuina-

rum humanarumque rerum ſcientia, tanta quâtam ratio aſſequi poteſt) in cognitionem ſermonis, & rerum diuiditur.

II. Sermonis prior: rerum autẽ potior, vt eruditè Eraſmus ſcribit, cura eſſe debet.

III. Rerum cognitio in Phyſiceen, & Ethicen rectè diuiditur.

IIII. Phyſice motuum naturalium cauſſas demonſtrat: Ethice virtutum & moralium actionum fontes oſtendit.

V. Ad diſcendam Philoſophiã opus eſt ingenio, inſtitutione ſiue præceptis, & vſu.

VI. Ad ingenium naturalis inclinatio refertur, de qua Horatius veriſſimè ſcribit.

Tu nihil inuita dices, facieſue Minerua.

VII. Plus autem momenti ad diſcendum affert viua vox, quàm muti Magiſtri.

VIII. Lectio alit ingeniũ, & nõ tam verborum quàm rerum copiam ſuppeditat, quæ non varia, ſed certa & aſſidua eſſe debet.

IX. Sicut enim librorum multitudo, ita quoque ſtudiorum va-

rietas & diuerſitas, ingenia diſcentium diſtrahit ac perturbat.

X. Certis igitur auctoribus, optimis tamen, diu multumque eſt immorandum.

XI. Vſus confirmat præcepta, &, ſi ad naturam & rectam inſtitutionem acceſſerit, perfectos artifices efficit. Ita enim intelligi Ouidius debet, cùm ſcribit.

Solus & artifices qui facit, vſus erit.

XII. Philoſophiæ cognitio ad reliquas profeſſiones vtilis & neceſſaria eſt. Continet enim earum fontes, & initia.

XIII. Nec Theologi ea prorſus carere poſſunt, etiamſi planè diuerſa doctrina ſit.

XIIII. Errant igitur, qui Philoſophiam è Schola Theologorum explodendam, & ad ſacræ ſcripturæ cognitionem ſuperuacaneam eſſe, contendunt.

DE GRAMMATICA,

DISPVTATIO III.

I. Cùm Grammatica ſermonis naturam doceat, & ſine ſermone

nulla ars cognoſci poſſit, eam neceſſariam, & principio diſcendam eſſe aſſerimus.

II. Eſt autem Græcæ & Latinæ linguæ Grammatica omnibus diſcentibus neceſſaria, Hebraicæ ſolis Theologię ſtudioſis.

III. Etſi antè quidem veteres vtramque ſimul diſcendam eſſe cōſtituerunt, tamen id conſilium noſtris adoleſcentibus non conuenit.

IIII. Illis enim Latina lingua vernacula fuit, nobis vtraque peregrina & ex libris haurienda.

V. Diſcenda igitur priùs Latina, mox Græca.

VI. Ad linguas diſcendas pręceptis, & exercitatione pariter opus eſt.

VII. Nam nec ſola pręcepta, nec ſolus vſus, ad rectè loquendum atque ſcribendum ſufficiunt.

VIII. Præcepta enim ſine vſu aridos, & ieiunos efficiunt: vſus ſine præceptis incertos, ambiguos, atque improprios.

IX. Ergo præcepta & vſus ad Grammaticam diſcendam coniūgenda ſunt.

X. Idem de reliquis dicendi arti-
bus iudicium eſt.
XI. Rectè veteres docuerunt, poëmatum & hiſtoriarum enarrationem ad Grammaticam pertinere, ſi ſermonem tantùm intellexerunt; ſi res, nequaquam.
XII. Rerum enim explicatio, ad Philoſophos, non ad Grammaticos ſpectat.
XIII. Ad docendos pueros, accommodatior eſt bonus Grammaticus & mediocris Philoſoph⁹, quàm bonus Philoſophus & malus Grammaticus.

DE DIALECTICA,

DISPVTATIO IIII.

I. Dialectica eſt ars rectè, breuiter, & perſpicuè docendi.
II. Hæc eſt neceſſaria ad omne genus ſtudiorum: nec vllus in docendo aut diſcenda ea carere poteſt.
III. Hinc rectè ab Hiſpano ars artium, ſcientia ſcientiarum nominatur.
IIII. Docemus autem vel alios, vel nos ipſos, definiẽdo, diuidendo, & argumentando.

V. His capitibus quid verum, quid falſum, quid neceſſarium, quid contingens, quid firmum, quid probabile ſit, quid cohæreat, quid non, oſtenditur.

VI. Eſt igitur Dialecticæ finis veritas, vt ex Platone colligitur, vbi ſcribit. Niſi te in Dialectica exercueris, veritas te effugiet.

VII. Neque ſolùm ne ab alijs in diſputãdo decipiamur, verùm ne nos ipſos malè ratiocinando circumueniamus, conducit.

VIII. Non enim omne quod apparet, & videtur verum eſſe, eſt verum.

IX. Quod cùm ita ſit, ſequitur ignorantes Dialecticam, ſæpè à veritate aberrare, & pro veris falſa amplecti.

DE CHAO.

DISPVTATIO V.

I. Phyſicè veriſſima eſt Philoſophorum ſententia. Ex nihilo nihil fieri.

II. Quidquid enim in hoc mũdo exiſtit, materiam habet.

III. Communis omnium rerũ materia, Ariſtoteli prima dicta,

aptè ab Ouidio ita deſcribitur.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtaque moles.

iiii. Rectè mundus in æthereā & elementarem regionem, à Ioan ne de Sacrobuſto diſtribuitur.

v. Elementaris regio, & quæ in ea continentur, ex quatuor elemē tis contrarijs qualitatibus prædi tis, conſtituta ſunt.

vi. Ignis eſt calidus & ſiccus, aër calidus & humidus, aqua frigida & humida, terra frigida & ſicca.

vii. Sunt autem elementa mu tabilia, poſſuntq; alterari, vnum que in aliud tranſire.

viii. Facilior tamen tranſitio eſt in ijs, quæ habent ſymbolum, id eſt, quæ in vna qualitate conue niunt, quàm in alijs.

ix. Quare cùm elemēta mutabi lia ſint, ſequitur & corpora ex illis conflata, mutationibus obnoxia, nulloque modo pepetua eſſe.

DE MVNDO,

DISPVTATIO VI.

i. Cæ

I. Cælum non eſt obnoxium al-
terationibus: nam nec à ſe, nec a-
liũde alteratur: ergo nõ ſeneſcit.

ii. Terra non habet facultatem
vegetatiuam, & ritè exculta eadẽ
nunc profert quę olim: non igitur
ſenio conficitur.

iii. Sic & reliqua elementa an-
tiquum obtinent.

iiii. Quod autem hominũ pau-
ci, iuſtum vitæ tempus expleant,
non cælo, non elementis, ſed ipſo-
rum moribus aſcribendum eſt.

v. Crapula enim, ignauia, & a-
arum ad victum neceſſariarum
erum abuſus, vitæ terminum
ræfinitum, eos conſequi non ſi-
unt.

. Eædem cauſſæ ſunt, cur pau-
nunc præſtãtes viri, ſiue in Phi-
ſophia, ſiue in Rebuſpublicis
iſtant.

. Quod cùm ita ſit, rectè Ga-
us ſcribit, eundem mundum
nc eſſe, qui fuit olim.

. Et errant, qui mundum a-
iantium ritu ſeneſcere conten-
it, ac cælo & elementis aſcri-
it, quæ hominum culpa con-
gunt.

DE ELEMENTIS, ET *qualitatibus Elementorum.*

DISPVTATIO VII.

I. Elementa ſunt prima corpora & ſimpliciſſima, ex quibus miſta componuntur.

II. Elementa quatuor ſunt: vt, ignis, aër, aqua, terra, nec plura nec pauciora.

III. Ex his cuncta naſcuntur, aluntur, & in eadem cuncta vltimò reſoluuntur.

IIII. Poſſunt autem elementa inuicem tranſmutari, & vnum in aliud tranſire.

V. Facilior verò tranſitio eſt in ijs, quæ habent ſymbolum (vt Ariſtot. loquitur) id eſt, communẽ qualitatem, quàm in alijs.

VI. Sic aqua faciliùs in aërem, quàm in ignem mutatur: ignis faciliùs in aërem, quàm aquam.

VII. Differunt elementa qualitatibus primis, ſecundis, & motu.

VIII. Primæ qualitates ſunt, caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas.

IX. Ignis eſt calidiſſimus & ſiccus,

cus, aër eſt humidiſſimus & calidus, aqua eſt frigidiſſima et humida, terra ſicciſſima & frigida.

x. Ex primis qualitatibus naſcũtur ſecundæ: vt graue, leue.

xi. Ignis eſt leuiſſimus, terra grauiſſima, aër, aqua leuior.

xii. Has qualitates ſequitur motus diuerſitas in elementis. Ignis & aër ſurſum mouentur, aqua & terra deorſum.

xiii. Sunt & ſpecificæ qualitates, δυνάμεις Græcis dictæ, vt in magnetæ vis attrahendi ferrum, in ſuccino paleas.

xiiii. Harum nullæ euidentes rationes, neque in aſtris, neque in elementis oſtendi poſſunt, ſed ſola experientia cognoſcuntur: ideoque apté á quibuſdã arcanæ proprietates appellantur.

ALIA DE ELEmentis.

DISPVTATIO VIII.

i. Elementa ſunt corpora ſimpliciſſima, ex quorum miſtione cuncta genita producuntur.

ii. Horum recté quatuor, tum à Philoſophis, tum à Medicis ſa-

nibribus numerantur: videlicet, ignis, aër, aqua, terra.

iii. Hæc ſimul omnia neceſſario ad conſtituenda corpora concurrunt, & vnum abſque alio conſiſtere non poteſt.

iiii. Etſi autem nec monſtrari, nec ſenſibus percipi poſſunt in miſtis, non tamen ea non ineſſe ſequitur.

v. Nec cera, nec reſina, nec pix, nec adeps in emplaſtro tetrapharmaco vllo ſenſu deprehendi poteſt, cùm tamen omnia hæc inſunt.

vi. Miſcentur enim inter ſe elementa, & vniuntur, non ſimpliciter, ſed alterata.

vii. Sunt igitur verè in miſtis elementa, ſeu potentia, vt Ariſtoteles & Galenus ſummi Philoſophi loquuntur, ſeu vt vulgò in Scholis dici ſolet, virtualiter, non formaliter.

viii. Nullum enim miſtum, actu vel formaliter ferre poſſet elementum.

ix. Ignis enim combureret corpus, terra adamante ſicciusillud efficeret, &c.

x. Hinc ſummæ qualitates ele-mentorum in miſtis, contrarijs reluctantibus, languidiores fiunt, retunduntúrque: & ita inter ſeſe ſimul complicantur atque ſocian-tur, vt vnam quandam certam harmoniam conuenientē cuique ſpeciei conſtituant.

xi. Talis harmonia κρᾶσις, Lati-nè temperamentum, vulgò com-plexio vocatur.

xii. Quod etſi verum eſt, nihilo-minus tamē quodlibet elementū ſua qualitate efficax eſt. Ignis cale-facit, concoquit: aër humectat, & rarefacit: aqua calorem temperat: terra ſua ſiccitate conſtringit, & ne res diffluant prohibet.

xiii. Quarè & hoc nomine ele-menta rectè potentia, ſiue virtua-liter corporibus ineſſe dicuntur.

xiiii. Sunt igitur ſubſtantiæ ele-mentorum in corporibus miſtis potentia: qualitates verò ipſorum actu quidem, ſed multo remiſſio-re, ſeu vt quidam loquuntur actu remiſſo.

xv. Qui extrinſecus accedunt corporibus, elemēta ipſorum nec ſunt, nec rectè dicuntur.

XVI. Quare nec aër attractus reſpiratione, nec aqua hauſta, nec terra deuorata, elementum corporis eſt.
XVII. Alimenta tamen dici poſſunt in certis animalibus.
XVIII. Hippocrates ſpiritus, qui in corporibus continentur, flatus appellat: qui extra corpus, aërem.
XIX. Itaque ex inflationibus nō probari poteſt, aërem actu ineſſe in corporibus.
XX. Nec ſi hoc cōcederetur, tria tantùm potentia eſſe elementa ſequeretur. Nam à puro aëre nos circundans, & reſpiratione attractus plurimùm diſtat.

ALIA.

CONCLVSIONES
ex libello Hippocratis, de Natura humana.

DISPVTATIO IX.

I. Errant tum Philoſophi, tum Medici, qui vnum tantùm elemētum hominis eſſe tradiderunt.
II. Vnum enim generare non poteſt, cùm ne multa quidem, niſi probè inter ſeſe temperata fuerint,

rint, generent.

III. Quod ſi homo vna re cóſtaret, non doleret: & ſi doleret, vnũ tantùm remedium foret.

IIII. Sed homines dolere, & varia genera remediorum exiſtere, in confeſſo eſt.

V. Elementa communia omniũ rerum, ſunt quatuor: népe, ignis aër, aqua, terra.

VI. Ex his cuncta fiunt, conſiſtunt, in eademque tandem reſoluuntur.

VII. Elementa peculiaria homini cum ſanguineis animalib⁹ ſunt, ſanguis, pituita, bilis, flaua, & atra.

VIII. Hæc non vnum & idem ſunt. Nam nominibus & formis differunt.

IX. His parentes noſtri conſtiterunt, hinc hinc nos æquè primã originem noſtram traximus, hinc in vtero materno nutriti ſumus.

X. Hæc omni tempore & in omnium corporibus reperiuntur, nec vnquam vnum ſolum inuenire eſt.

XI. Sumptum enim pharmacum purgans, ſemper attrahit ſibi cognatum humorem.

XII. immodicè verò purgans, trahit præter illũ alios quoq;, ſed mobiliores quoſque prius. Nec quiſquam, qui vnum tantùm humorẽ euacuaſſet, mori viſus eſt.

PARERGA.

I. Homini cibus vtiliſſimus ſimplex, aceruatio ſaporum peſtifera, ex cõdimento pernitioſior.
II. Difficulter autem in cibis perficiuntur omnia acria, nimia, & auidè hauſta.
III. Et æſtate, quàm hieme difficilius: & in ſenecta, quàm in iuuenta. Plinius.
IIII. Hæc omnia cum Medicorum doctrina congruere aſſerimus.
V. Nam varietas & inequalitas ciborum in ventriculo tumultum mouet. Hipp.
VI. Eſt etiam omne nimium, ſiue de quãtitate, ſiue de qualitate, ſiue quocũque intelligatur, naturæ inimicum.
VII. Reliqua cum 14. & 15. Aphoriſmis primæ ſectione Hipp. conſentiunt.

DE TEMPERAMENTIS, & gradibus eorum, in genere.

DISPVTATIO X.

I. Craſis, eſt qualitas ex elementorum miſtura in corporibus orta.

II. Miſcentur autem elementa inter ſe æqualiter, vel inæqualiter: vnde prima differentia tēperamētorum ſumitur.

III. Sunt igitur quędam εὔκρατα, ſiue temperata, in quibus nulla qualitatum aliam excedit: quædam ἄκρατα in quibus vna vel duæ ſimul excellunt.

IIII. Vocatur & εὔκρατον temperamentum, optimè conueniens ſuæ ſpeciei.

V. Hoc pacto plantæ, & animalia temperata eſſe dicuntur, & homo omnium temperatiſſimus exiſtit.

VI. Dyſcratorum ſunt quatuor ſimplicia: vt, calidum, humidum, frigidum & ſiccum, quatuor compoſita: vt calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & humi-

humidum, frigidum & ſiccum.

VII. Hæc diuerſitas neceſſaria eſt propter actionum varietatem & diſſimilitudinem.

VIII. Habent etiam tempera-menta ſuos gradus, id eſt, diſtátias & declinationes notables, à tẽpera ta craſi ad elementares qualitates. Diſtant enim alia alijs longiùs.

IX. Hanc differentiam ab inæqualitate elementorum ſortiuntur.

X. Hinc tanta varietas rerum in natura exiſtit.

XI. Craſes plantarum ex ſecundis qualitatibus, ſaporibus præcipuè, animalium verò maximeque hominũ ex moribus, affectibus & reliquis actionibus, tũ naturalib⁹, tũ animalibus deprehenduntur.

DE DISCRIMINE *Phyſices, & Medicinæ,* DISPVTATIO XI.

I. Etſi maxima Phyſices & Medicinæ cognatio eſt, ſunt tamen revera diuerſæ, & diſtinctæ artes.

II. Differunt enim obiecto, fine, & tempore,

III. Phyſice totam rerum natu-ram ſcrutatur, à primis principijs initium faciens, & cauſſas actio-num naturalium inquirit, atque monſtrat.
IIII. Hæc ad Medicinam pro-bè diſcendam neceſſaria eſt, nec vl-lus naturalis ſcientiæ ignarus, tue-ri ſecundam valetudinem, aut me-thodo, rectaque ratione mederi morbis poteſt.
V. Medicina verò, quæ ad ſani-tatem tuendam, morboſque depel-lendos ſpectant propriè docet.
VI. Finis Phyſices eſt cognitio cauſſarum, motuum naturalium. Medicinæ autem ſcopus eſt, vel tueri præſentem ſanitatem, vel a-miſſam recuperare.
VII. Præcedit etiã Phyſice Me-dicinam, fonteſque & cauſſas diſ-putationum eius cõtinet, vt & no-tiſſima Ariſtotelis ſententia (vbi Phyſicus deſinit, ibi Medicus inci-pit) declarat.
VIII. Porrò & hoc nomine diffe-runt: quòd aliter Medici, atque Philoſophi naturales de rerũ qua-litatibus ſiue temperamentis iu-dicant & pronunciant. Hi enim

vnumquodque, vt ex ſe, atque ad totam naturam collatum cenſent: illi verò tantùm ad hominem reſpiciunt.

IX. Hinc fit, vt interdum de rerum qualitatibus contrariæ ſententiæ ab vtriſque proferantur.

X. Vt Phyſici acetum, aquã marinam, & ſimilia, humida eſſe pronunciant: Medici contra, eò quod exiccandi vires humana corpora habent, illa ſicca eſſe docent.

XI. Communia ambobus ſunt, doctrina de elementis, cauſſis, de natura & partibus hominis, de affectibus, &c.

XII. Ex his patet naturæ ſcientiã omnino ad Medicinam pertinere, requirique bonum Medicum & Phyſicum eſſe, ſed nõ è conuerſa.

DE CAVSSIS MORUM,

DISPVTATIO XII.

I. Vera & vtilis Philoſophorum ſententia eſt, Animi mores, ſequi corporis temperaturam.

II. Sunt enim temperaturæ, ſiue craſes, non ſolum naturalium opera

rationum cauſſæ, verum etiã morum & actionum, quæ à voluntate proficiſcuntur.

III. Bonæ ſiquidem & temperatæ, bonos ac placidos: vitioſæ, mores prauos efficiunt.

IIII. Sunt autem tẽperaturæ mutationibus obnoxiæ, & educatione, uictuſq; ratiõe alterari poſſunt.

V. Et ſicut bona natura praua educatione, & victu alieno corrumpitur.

VI. Sic mala (ſi modò non extremè talis fuerit, & ætate confirmata) honeſta & liberali educatione, & victus ratione idonea corrigi, atque in melius mutari poteſt.

VII. Sunt igitur cauſſæ morum animi, temperamenta corporum: horum verò prima generatio, educatio & victus qualitas.

VIII. Idque non ſolùm in hominibus, verum etiã in brutis animalibus fieri, illuſtri exemplo duorũ canum, ex eadem matre ſimul natorum, quorum alter venaticus, alter culinarius, diuerſa educatione atque aſſuefactione euaſit, Lycurgus demonſtrauit.

IX. Quia non natura tantum, ſed

etiam

etiam diſciplina mores facit, vt Columella de canibus memoriæ prodidit.

x. Igitur rectè à diuino Platone dictum eſt: Malos fieri, aut propter prauum corporis habitum, aut malam educationem.

xi. Sic Therſites malus erat propter corporis vitioſum habitum, & qui alebat, non emendabat naturæ defectum.

xii. Sic boni natura adoleſcentes, mala educatione & improborum conſeruatione tum temperamentum corporis, tum mores animi deprauant.

xiii. Suffragatur noſtræ ſententiæ Paulus, qui dictum Menandri Poetæ (corrumpũt bonos mores colloquia praua) probat.

xiiii. Etſi autem temperamenta mores efficiunt, nihilominus tamen & illa Philoſophorum ſententia vera eſta voluntatem cauſſam eſſe moralium actionum.

DE RECTA EDVCA *tione.*

DISPVTATIO XIII.

i. Recta

I. Recta educatio iuuenili ætati, vt ad pietatem, honeſtatem, temperantiamque à teneris aſſuefiat, neceſſaria eſt.

II. Hæc non tantùm morum gubernationem, ſed etiam victus administrationem complectitur.

III. Ad mores probè formandos præceptis, & exemplis rectè viuendi pariter opus eſt.

VIII. Perniciosũ autẽ, et à ratione vera alieniſſimum eſt quorundam præceptũ, heſternam crapulã matutina ingurgitatione profligãdam eſſe.

IX. Contraria enim contrarijs, nõ ſimilibus tolluntur: & omne tale additũ ſuo tali, facit illud magis tale, vt Philoſophi loquuntur.

X. Eſt tamen cùm mâne, vel etiã noctu frigida aqua aut cereuiſiæ lora, reſtringendæ ſitis gratia rectè aſſumitur.

XI. Nã defectui ſuccurrere, & caliditatem ex vino contractam aqua reſtringuere oportere, theorema

ma medicinale eſt.

XII. Hinc legendum eſſe in Aphoriſmis Hippocratis opinor, Qui noctu bibere appetunt, ijs non admodum ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonum.

XIII. Suffragatur noſtræ opinioni idem auctor, qui alio loco ſcriptũ reliquit, Siti leui ex vigilia ſomnus remedium eſt.

ALIA DE SOMNO, *& Vigilia.*

DISPVTATIO XXXVI.

I. Vera eſt Ouidij de quiete ſententia, cúm inquit.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt:

Hec reparat vires, feſſáque mẽbra leuat.

II. Nam quietẽ ad vitam neceſſariam eſſe docet, & modũ vſumque eius oſtendit.

III. Optima quies tẽpeſtiuꝰ ſomnus eſt, quẽ Albertus bene definiuit, eſſe quietẽ viriũ animaliũ cũ intentione naturalium.

IIII. Sicut enim animales facultates in dormientibus quieſcunt: ſic naturales validiùs agunt.

v. Concedit enim ſanguis, & cũ eo calor, qui actionum naturalium opifex eſt in ſomno ad interiora.

vi. Id voluit Hippocrates, hac ſententia. τὸ ἅιμα ἐμ ὕπνω ἐίσω μᾶλλόμ φεύγει, id eſt, Sanguis in ſomno introrſum magis concedit.

vii. Iuuatur autem motus iſte, caloris frigiditate, & trãquillitate nocturni temporis. Nam nocturnum tantũ ſomnum ſecundum naturam eſſe aſſerimus.

viii. De ſomni effectu Virgilius rectè ſcripſit. Feſſos ſopor irrigat artus.

ix. Coquuntur enim alimenta in ſomno: vnde poſteà membra exhauſta reficiuntur, atque humectãtur.

x. Subiectum ſomni eſſe cerebrũ, ceſſantes operationes eius liquidò probant.

xi. Immoderatus ſomnus in primis cerebro nocet: deinde etiam actiones naturales remoratur.

xii. Nec minus vigilia immoderata noxia eſt. Exiccat enim corp⁹, impedit coctionem, affert cruditates, ſpiritus diſſoluit, lædit actiones

cerebri

cerebri,deliriū efficit, & multorū malorum cauſſa eſt.

XIII Quare & dormiendo, & vigilando modum naturæ conuenientē ſeruare oportet.

XIIII. Omne ſiquidē immoderatū contra naturam eſt.

DE EXERCITIIS, *& Quiete,*

DISPVT. XXXVII.

I. Phyſicè ſcriptū eſt ab Ouidio I.lib.de Ponto.

Cernis vt ignauum corrumpāt otia corpus,

Et capiant vitium, ni moueantur,aquæ.

II. Impoſſible enim eſt, corporis bonā diſpoſitionem ſine exercitijs poſſe conſiſtere.

III. Quare exercitia ad ſanitatē conſeruandam omnino neceſſaria ſunt.

IIII. Vt autem tempeſtiua exercitia plurimùm valetudinem iuuant:ſic intempeſtiua vehementer lædunt.

V. Aptiſſimum tempus exercendi tū animum tum corpus, eſt ante cibū, iuxta illud Hipp. Labores ci-

bos antecedant.

VI. Statim igitur à cibo literis ſeriò incũbere, periculoſum eſt.

VII. Sic & corpus vehemẽter poſt ſumptũ cibũ contra vulgi opinionẽ mouere nocet, & coctionem alimentorum, impedit.

VIII. Effectus exercitiorũ corporis ſunt, augere natiuũ calorẽ, expellere ſuperfluitates, corroborare membra &c.

IX. Ex his exercitijs vniuerſalia lõgè præſtant particularibus.

X. Inter omnia autẽ ludus paruę pilæ merito primas tenet. Nam & mentem & totũ corpus ſimul exercet.

XI. Sicut autem exercitia, ita & quies ad ſanitatem tuendam neceſſaria eſt, ac ſuas vtilitates habet.

XII. Eas eleganti diſticho idem Poëtæ in ſumma complexus eſt, cùm ſcribit.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt,
Hæc reparat vires feſſaque mẽbra leuat.

DE

DE AFFECTIBVS, DISPVTAT. XXXVIII.

I. Erroneæ & abſurdæ ſunt Stoicorum de affectibus ſententiæ.

II. Non enim affectus opiniones ſunt: ſed naturales cordis motus, ab abiectis ſenſu preceptis orti.

III. Subiectum affectuũ eſt cor, nõ hepar, aut aliud membrum.

IIII. Conſtringitur autem & dilatatur villis ſuis diuerſis modis pro obiectorum varietate.

V. Humores nõ ſunt cauſſæ affectuum efficiẽtes: ſed ipſi mouẽtur ab affectibus, alij ab alijs.

VI. Ira flauam bilem mouet, mæſtitia cit atram bilem, lętitia ſanguinem & ſpiritus ſpargit ad exteriora, metus eadem ad cor reuocat.

VII. Obiecta ſenſu cognita mouent affectus, vt ex aſpectu naſcitur amor.

VIII. Hinc rectè dicitur. Ignoti nulla cupido.

IX. Errant Etiam Stoici, quod tradunt omnes affectus eſſe vitioſos, & à natura alienos.

x Illi enim tantū mali ſunt, qui cum honeſtate pugnant, aut naturam corrumpunt.
xi. Naturam autem corrūpunt affectus ſubiti, immoderati, & diuturni.
xii. Eſt etiam ἀπάθεια Stoicorum commenticia, & abſurda.
xiii. Tollere enim affectus, eſt naturam ipſam auferre.
xiiii. Vera & Phyſica Prophetæ ſententia eſt. Cor lætum exhilarat mentem, triſtitia tabefacit oſſa.
xv. Eſt & illud Poëtæ Phyſicū. Inuidus alterius rebus marceſcit opimis.

DE VIRTVTE, DISPVTATIO XXXIX

i. Rectè definitur virtus eſſe habitus voluntatis inclinans ad agendum ſecundum rectam rationem.
ii. Duplices autem ſunt virtutes Chriſtianæ, ſiue ſpirituales, & ciuiles.
iii. Spirituales nemo efficere aut preſtare poteſt, ſine Spiritu ſancto.
iiii. Ciuiles vtcunque homo ſuis viribus præſtare poteſt: ſunt tamen

mé nihilomin⁹ dona Dei, etiã ſi nõ renati illud nõ credũt, aut itelligũt.
v. Sũt gradus vt aliorũ habituũ, ita virtutũ quoque. Nam alius alio temperantior, fortior.
vi. Ad eximias virtutes efficiendas requiruntnr naturalis impetus aſſuefactio, magnus & perpetuus vſus.
vii. Primũ autem locũ, & præcipuum iure ſibi naturalis inclinatio vẽdicat, ſine qua nihil egregij efficitur, vt Poëta ſcribit.

Tu nihil inuita dices, facieſue Minerua.

viii. Aſſuefactio & vſus imitatione potiſſimùm conſtant.
ix. Aptiſſimum eſt, quod Ariſtoteles virtutem in medio conſiſtere diſputat.
x. Idem etiam Horatius ſentit, cùm ſcribit.

Virtus eſt mediũ vitiorũ vtrinque redactum.

xi. Omnis enim exceſſus in actionibus vitioſus eſt.

DE OBEDIENTIA, *& Legibus.*

DISPVTATIO XL.

Obe-

I. Obedientia, eſt virtus ſuperiorum iuſſa legitima exequens.
II. Ea neceſſaria eſt omnibus hominibus, maximè infirmæ, & iuuenili ætati.
III. Hæc enim nondum ſine rectore & monitore, quid facto opus ſit, ſatis intelligit.
IIII. Adulti verò, etiã ſi quid rectum ſit non ignorant, tamẽ propter naturę imbecillitatem, deprauationẽq́;, & varias diaboli inſidias, ac delinquendi occaſiones legibus, quibus tanquam habenis quibuſdam flectantur, & in officio cõtineantur, indigent.
V. Sunt autem gradus obediẽtię, qui ex obiectorum dignitate cõſtituuntur.
VI. Nã Deo & ante, & ſupra omnia obedire conuenit, iuxta illud. Oportet magis Deo, quàm hominibus obedire.
VII. Proxime miniſtris Eccleſiæ diuinã volũtatem nobis ſecũdum ſcripturam annuntiantibus.
VIII. Deinde reliquis quoque ſuperioribus iuxta gradũ dignitatis: nempe Magiſtratui ciuili, parentibus, præceptoribus, &c.

IX. Etſi autem Magiſtratus gu-bernacula tenent, tamen & ipſi, non ſecus atque ſubditi, legibus ſubiecti ſunt.
X. Nam leges ſunt ſuperiores ijs, qui eas cuſtodiunt & diſpenſant.
XI. Ex his ſequitur, inferiores præſtātibus debere obedientiam, & omnes homines legibus ſubiectos eſſe.
XII. Ceterum lex (vt verè Demoſthenes eam definiuit) eſt inuentū & donum Deorum, decretum virorum ſapientum, correctio delictorum, conſulto vel inconſulto admiſſorum, vrbis commune pactum ſecundum quod omnibus ciuibus conuenit viuere.
XIII. Neque improbis tantū leges feruntur: ſed etiam bonis (quorū tamen pauci ſunt) nempe vt ſui officij admoneantur, & ſtudio honeſtatis rectè agere contendant.
XIIII. Vtrūque poëta aptiſſimè ſequentibus verſibus cōplexus eſt.

Oderunt peccare boni, virtutis amore.

Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

XV. Nullum eſt ſolidius fundamen-

mentum publicæ tranquillitatis, & firmius in ſocietatibus concordiæ vinculum, quàm æqualis legũ obſeruatio.

XVI. Hinc præclarè à Demoſthene dictum eſt, leges eſſe animas Rerumpublicarum.

XVII. Violare igitur leges, non tantum à pietate alienum eſt: ſed etiam maximorum motuũ in Rebuſpublicis cauſſa exiſtit.

XVIII. Impia & tyrannica vox eſt Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

XIX. Contrà ſancta & regia vox eſt. Sic volo, ſic ſas eſt, ſit cum ratione voluntas.

PROBLEMA.

Vtrum parentibus magis an præceptoribus obtemperandum ſit, an in adiaphoris in parentibus reliquis iuſtiora mandantibus.

DE AMICITIA, DISPVTATIO XLI.

I. Amicitia non eſt fortuita animorum coniunctio: ſed ex cauſſis quibuſdã præcedentibus naſcitur.

II. Quas ſummatim vulgare dictum

ἡ ὁμοίωσις τῆς φιλότητος μήτηρ, Similitudo mater amoris cōprehendit.

III. Eſt autem ſimilitudo intelligēda de ingenijs, moribus, ſtudijs, iudicijs, vitæ genere, denique de religione, quæ omniumcauſſarum efficaciſſima eſt.

IIII. Præter illas eſt occulta quædā cauſſa, quæ tātū experiētia, & à poſteriore deprehēditur, etiam in diſſimilibus naturis.

V. Sunt & gradus amicitiæ. Omniūmaxima & firmiſſima eſt, quādo omnes cauſſæ concurrunt; magna, quando plurimæ.

VI Hæc eſt conſtans & firma animorū cōuenientia ad faciendū omnia, quæ amico grata & vtilia eſſe iudicamus, nec vtilitatis gratia, ſed propter ſe colitur.

VII. Et ſicut ſimulitudine amicitia conciliatur: ita mutuis officijs fouetur, & conſeruatur.

VIII. Diſſimilitudo amicitiam cōtrahi prohibet, & contractam coaleſcere non ſinit.

IX. Peſtes nocentiſſimæ amicitiæ ſunt, inuidētia, & æmulatio. Hinc Figulus figulum odit.

X. Simulata amicitia, vt nec cauſ-

ſas

ſasveras habet, ita nec durabilis eſt ſed cum fortuna ſtatque, caditq;, vt Poëta loquitur.

XI. Rebus aduerſis veri amici cog noſcuntur, & à ſimulatoribus diſtinguũtur: quemadmodum aurũ igne probatur, & ab alijs metallis ſegregatur.

XII Quæ experientia, cùm valde periculoſa ſit, præſtat apertum habere inimicum, quàm ſimulatum amicum.

XIII. Inhumaniter dictum eſt. Amicus me ledens ab inimico nihil differt.

XIIII. Contrà non ſolùm humanitatis, ſed etiã pietatis plena vox eſt. Amici mores noueris, nõ oderis.

XV. Verè dici exiſtimo. Amicũ non fuiſſe, qui amare deſijt.

XVI. Diuulgare dicta aut ſcripta aliorũ poſt offenſionem nocendi gratia, non eſt boni viri, multò minùs Chriſtiani.

XVI. Qui ſemel atque iterũ, vni atque alteri fidem non ſeruat, is plerumque nemini fidus eſt.

DE CVRIOSITATE DISPVTATIO XLII.

I. Pulchrè Chremes apud Comicum deſcribit πολυπραγμοσύνην his verbis. Tantum tibi otij eſſe, aliena vt cures, eaque, quę nihil ad te pertinent.

II. Non igitur quæuis rerum alienarum curâ πολυπραγμοσύνη eſt, ſed quæ extra vocationem ſuſcipitur.

III. Fit autem, dum aliena curamus, & quæ nihil ad nos pertinẽt, vt propria ac neceſſaria negligamus.

IIII. Non ineptè huc illud Senecæ, Nuſquã eſt, qui vbique eſt, detorquetur. Nihil enim rectè curat qui multa, aut nõ neceſſaria curat.

V. Eſt igitur πολυπραγμοσύνη, alienarum rerum neglectis proprijs cura.

VI. Peccant grauiter, qui hoc vitio obnoxij ſunt, & ſuam Spartam non diligenter ornant.

VII. Curare autem publicam diſciplinam, mores & vitam adoleſcentum obſeruare, à præceptorum officio non eſt alienum.

VIII. Nam nõ ſolũ fideliter docere iuuentutẽ, ſed etiam regere mores ipſorũ, & ne quid ſcholaſtico ordi

ne indignum comittatur caueri boni præceptoris munus eſt.
IX. Sunt enim mores & fructus, & ſigna ſtudiorum, vt eleganter Poëta cecinit.
Ingenuas didiciſſe fideliter artis, Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.
X. Itaque iniuſtè & impie faciunt, qui publicæ diſciplinæ, morumque iuuentutis obſeruatores curioſitatis arguunt.

DE BONIS, DISPVTATIO XLIII.

I. Bonum eſt, quod omnibus conuenit: ideoque ab omnibus iure expetitur.
II. Id duplex eſt, cæleſte, & mundanum.
III. Cæleſte bonum eſt, agnitio Dei, quod ſummũ, præcipuũ, aliiſque ſimpliciter anteponendũ eſt.
IIII. Mundana ſunt triplicia, animi corporis, & fortunæ, quæ Dei quoque dona ſunt, quibus ad gloriam nominis ipſius, & vtilitatem proximi, non ad noſtram libidinẽ vti debemus.
V. Ex his primum locum obtinẽt animi bona: vt, ingenium, doctri-

na, virtus: ſecundum, corporis: vt
ſanitas, forma, robur.

VI. Vltimo loco fortunæ bona
collocantur, quæ non propter ſe,
ſed priorum cauſſa expetenda
ſunt.

VII. De poſterioribus rectè di-
ctum eſt veteri prouerbio. ἄριστον
ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος τρίτον δὲ
πλοῦτος.

VIII. Male iudicant, qui homi-
nes à ſolis bonis fortunæ beatos
prædicant.

IX. Nam non minùs improbis
quàm probis contingunt, & inſta-
bilia omnino ſunt, vt Poëta elegā-
ter teſtatur.

Nempe dat & quodcunque li-
bet fortuna, rapitque,
Irus & eſt ſubitò, qui modò Crœ-
ſus erat.

X. Improbè etiam faciūt, qui alijs
paupertatē exprobrant, cùm nec
acquirere nec retinere opes noſtræ
induſtriæ ſit.

XI. Præſtat honeſte pauperem eſ-
ſe, quàm fraude, aliorumque iniu-
ria maximas diuitias poſſidere.

ALIA

ALIA DE BONO, DISPVTATIO XLIIII

i. Bonum eſt quod conuenit naturæ.
ii. Non omnia omnibus naturis conueniunt.
iii. Igitur non omnia omnibus ſunt bona.
iiii. Id voluit Hippocrates dum ſcribit. Ad aliquid omnia bona & mala ſunt.
v. Et potentia alimenti melior eſt quàm moles: moles alimenti melior eſt, quàm potentia.
vi. Ita raritas corporis alijs vtilis, alijs non.
vii. Idem ſentit Galenus, qui eaſdem cauſſas quandoque ſalubres, quandoque inſalubres, in eo quod ad aliquid, eſſe ſcribit.
viii. Nam vbi motum corpus deſiderat, exercitatio quidem ſalubris, otium autem inſalubre. Cùm verò eget quiete, otium ſalubre, exercitatio inſalubris.
ix. Huc referri nõ ineptè poſſe opinor illa ænigmatica Hippocratis Dilatare, conſtringere hæc quidem.

dē, illa vero non humores hos ex‑
pellere, illos ſiccare, alios autem in
ducere huic ſanè, illi verò non.

x. Et attenuare, inſpiſſare corpus
cutem, carnes, & alia hæc quidem,
illa verò non.

xi. Hoc pacto frequens vſus acri
um & attenuantium: vt allij porri,
cæparum, & ſimilium alijs, id eſt,
pituitoſis vtilis: alijs verò, id eſt
bilioſis minimè.

xii. Sic quoque intelligo hoc Hip.
dictum. Maritimus locus ad ſanita
tem commodus eſt.

xiii. Non igitur abſolute aliquid
bonum dici oportet.

xiiii. Nec mel, nec vinũres præ‑
ſtātiſſimæ ſimpliciter ſalubres pro
nuntiandæ ſunt.

xv. Itaque non recte ſentiunt,
qui coronas ex pulegio, maiorana,
aut lauendula indefinite magis ca‑
piti conuenire, quàm ex roſis tra‑
dunt aut intelligunt.

xvi. Sicuti enim frigidiori cere‑
bro ex pulegio, & ſimilibus, ita ca
lidiori roſaceæ coronæ accommo‑
datiores ſunt.

xvii. Nec illis patrocinatur Apho
riſmus Hippocratis, Frigidum ini
micum

micum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum verò vtile.

XVIII. Rectiùs tamen ſentiunt, quâm qui roſas cerebro abſolute conferre dicunt.

XIX. Eſt enim cerebrum membrũ natura frigidius, & faciliùs, ſæpiuſque in hac, quàm in contraria qualitate modum excedit.

XX. Senibus præ ceteris ætatibus roſaceæ coronæ moleſtæ & inſalubres ſunt.

XXI. Nam cũ in ſenibus capita ſint iuſto frigidiora, à frigidis facile aſſiciuntur, atque læduntur.

XXII. Etſi non eadem omnibus conueniunt, tamen attenuantem diætam ad ſanitatis tutelam incraſſante tutiorem eſſe cum Aegineta ſentimus.

PROBLEMA.

An in omni pleuritide meliùs ſit venæ ſectione, quàm purgatione vti, id quod nos ſentimus, an verò ſolum, in qua dolor ad iugulum tendit, quemadmodũ præſtantiſſimi quoque Medicorum (non tamen omnes) tradiderunt.

DE NEVTRALITATE, DISPVTATIO XLV.

I Quidquid eſt, aut verum aut falſum eſt, nec vllum inter hæc medium eſt.

II. Verum à Deo proficiſcitur: Chriſtus enim veritas eſt.

III. Falſum à diabolo ortum habet. Nam is mendax eſt, & eius rei pater.

IIII. Mendacij filiæ ſunt, ſimulatio & diſſimulatio.

V. Simulamus quæ non ſunt, & quæ ſunt diſſimulamus.

VI. Ex vtroque vitio neutralitas conflata eſt.

VII. Igitur neutralitas cum veritate & Deo ipſo pugnat, vt ſcriptura docet. Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt: &, ſit ſermo veſter, eſt eſt, non non.

VIII. Itaque neutralitas impietas eſt, nec probanda, nec excuſanda Chiſtiano homini, etiamſi quibuſdam ſumma ſapientia eſſe hoc ſeculo videtur.

ALIA DE DIALECTICA.

DISPVTATIO XLVI.

I. Dialectica eſt ars breuiter, propriè, & ordine docendi.

II. Diuiditur in κριτικὴν & τοπικήν.

III. Quanquam materia natura præcedit formam, nihilominus tamen κριτικὴ rectè ante τοπικὴν traditur.

IIII. Optime ergo faciunt, qui Dialecticam à prædicabilibus auſpiciantur, & inde per prædicamenta ad propoſitiones & argumentationes progrediuntur.

V. Hæc enim via ad docendum eſt accommodatiſſima, & doctrina compoſitoria à quibuſdam vocatur.

VI. Etſi autē in κριτικῇ definitiones, diuiſiones, & argumentationes continentur, vſus tamen earum in topicis tantùm monſtratur.

VII. Dialectica omnibus docētibus & diſcētibus eſt neceſſaria, & rectè ab Hiſpano ars artium, ſcientia ſcientiarum, id eſt, organum aliarum artium & ſcientiarum appellatur.

VIII. Huius præcepta, etſi facilia ſunt, vſus tamen eſt difficilis: &

ars ipſa non niſi multa exercitatio-
ne comparatur atque confirma-
tur.

IX. Verſatur Dialectica pro-
priè circa quæſtiones rerum, ſim-
plices & compoſitas.

X. A Grammatica tamen ſer-
monem mutuatur, ſine qua exi-
ſtere non poteſt.

XI. Finis Dialecticæ eſt veritas.
Hinc non ineptè Dialectica inſtru
mentum inquirendæ veritatis ap-
pellari poteſt.

XII. Rectiùs de negotijs ar-
duis, & intricatis mediocria inge-
nia Dialecticâ probè inſtructa,
quàm artis imperiti homines inge
nioſi iudicant.

DE ORDINE,

DISPVTATIO XLVII.

I Nihil eſt pulcrius in omni ra-
tione vitæ, diſpoſitione ac ordine,
vt Columella ex Xenophonte tra
didit.

II. Id maximè in ſtudijs verum
eſſe tum docti omnes ſentiunt, tū
experientia ipſa teſtatur.

III. Nam faciliùs diſcuntur, quę
ordine conſtant; & fideliùs ſemel

hoc pacto percepta retinentur, ac ſi quando forté exciderunt, non magno negotio in memoriam reuocantur.

IIII. Eſt enim ordo, apta & certa rerum inter ſe diſpoſitio, in qua vnum aliud ita ſequitur, vt hoc ſine illo intelligi nequeat: & ſummũ ne medio, medium ne diſcrepet imo.

V. Ordine igitur diſcere, eſt illa priùs diſcere, ſine quibus alia intelligi non poſſunt, & quæ ad alia aditũ patefaciunt.

VI. Contrà nihil confuſione in ſtudijs eſt operoſius ac pernicioſius.

VII. Nam multo labore parum, nihilque ſolidi cum magna opera, & olei, vt dici ſolet, iactura diſcitur.

VIII. In hanc ſententiam rectiſſimè etiam Columella ſcripſit, Laborioſiorem eſſe negligentiam, quàm diligentiam.

IX. Quare artes ordine ſunt diſcendæ: ac in toto ſtudiorum curſu, certum ordinem ſequi, expeditiſſima proficiendi ratio eſt.

X. Duplex eſt ordo, rerum &

literarum, Rerum multiplex; de quo aliâs.

XI. In diſcendo, in conſcribendis locis communibus, alijsq́ue exercitijs omnibus præſtat ordinem naturæ, quàm literarum ſequi.

XII. Ordo literarum ad indices aptiſſimus eſt.

PROBLEMA.

Quam ob cauſſam veteres auctores ſuis operibus Indices non addiderunt? An quia voluerunt ea ordine legi, & integrè cognoſci.

DE PERSPICVItate,

DISPVTAT. XLVIII.

I. Perſpicuitas, σαφήνεια Græcis, dicta eſt facultas ita rem explicandi, vt facillimè à diſcente intelligi queat.

II. Hanc ſummam in dicendo, & auctoribus interpretando virtutem eſſe, & veriſſimè Poëtam dixiſſe, ἐσθλὸν τὸ σαφὲς contẽdimus.

III. Duplex autem eſt perſpicuitas. Rerum & verborum: quarũ prior ſine poſteriore exiſtere non poteſt: ſed non è contrà.

IIII. Rerum perſpicuitas, in apta rerum diſpoſitione, & perſpicua iuſtæ magnitudinis oratione conſiſtit.

V. Verborum perſpicuitas, præcipuè in proprio, & vſitato, minimeque ambiguo cōſiſtit ſermone.

VI. Improprius enim & nimiū figuratus, res etiam per ſe planas obſcurat.

VII. Vnde nō minus verè, quàm argutè in prouerbio dicitur. Veritatis ſimplex oratio.

VIII. Ac rectè ab Horatio dictū eſt de vſu verborum. Quem penes arbitrium eſt & vis, & norma loquendi.

IX. Inuſitata enim, vt ſunt vetuſta, obſoleta, peregrina, & noua perſpicuitati maximè obſtant.

X. In eodem crimine ſunt ambigua.

XI. Summum contra in dicendo vitium eſt, obſcuritas.

XII. Hæc ex ambitione naſcitur & ingenij oſtentatione: ſicut perſpicuitas ex candore atque veritatis ſtudio.

XIII. Eſtque duplex quemadmodū illa: rerū videlicet & verborū,

&

& à cõtrarijs cauſſis proficiſcitur.
xiiii. Vna cauſſa obſcuritatis in rebus eſt mala diſtinctio: indiſtincta enim pariunt confuſionem: confuſio, obſcuritatem.
xv. Altera eſt breuitas, vt idem Horatius verè expreſſit, dum ſcribit. Breuis eſſe laboro, obſcurus fio, Qui enim nimis breuiter dicunt, multa neceſſaria omittunt.
xvi. Prolixitas ex accidénti res obſcurat. Diſtrahit enim & obtundit animum (quemadmodum nimia lux hebetat viſum) vt vbi cõſiſtendum ſit, non videat.
xvii. Præſtat igitur craſſiùs & clarè tamen dicere, quàm argutè & obſcurè.
xviii. Et rectiùs faciunt, qui vſitato ſermone, non tamen impuro, quàm qui nouo, & affectato vtuntur. Affectatio nouitatis in verbis pernicioſa: in rebus verò pernicioſiſſima eſt in Scholis.

DE COMPENdijs.

DISPVTAT. XLIX.

I. Duplex eſt docẽdi ratio, Sũmaria, & perfecta, ſiue abſoluta.

ii. Prior εἰσαγωγική, ſiue elemẽtaris vocatur, cùm videlicet res breuiter & ſummatim tantùm, ſiue per capita traduntur.
iii. Hæc eſt incipientibus aptiſſima, et accommodatiſſima, atque omnino neceſſaria.
iiii. Nondũ enim perfectas tractationes animo cõplecti poſſunt.
v. Idem Horatius in arte Poëtica ſentit, & faciẽdum ſuadet his verbis.

Quidquid præcipies, eſto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

vi. Nam breuitas maximè, ſi cũ ordine & perſpicuitate coniuncta eſt, & ad diſcendi facilitatem, & ad memoriam plurimùm momẽti habet.
vii. Non igitur audiendi, qui cõpendia artium, tanquam diſpendia, reijciunt.
viii. Verùm hic docendi modus non ſatis eſt: neque in compendijs ſolùm perpetuò commorandum.
ix. Solida enim doctrina cauſſarum inquiſitione, & notitia comparatur, atque conſtat.

x. Igi-

x. Igitur & altera ratio, quæ eſt perfecta rerum explicatio, adiungenda eſt, Hæc vocatur Græcis, Διδασκαλία κατὰ διέξοδον.

ALIA DE CONcoctionibus.

DISPVTATIO L.

I. Omnis concoctio fit à calore moderato, & media eſt inter defectum & exceſſum.

II. Sicut calor duplex eſt, naturalis & artificialis: ita quoque concoctio duplex.

III. Naturalis in fructibus vocatur maturatio: cuius terminus eſt, ſeminum perfectio.

IIII. Artificialis eſt duplex elixatio, & aſſatio.

V. Elixatio fit à calore externo, mediante humore.

VI. Quiſi debilior iuſto eſt, imperfecta fit elixatio: ſi vehementior, immoderata elixatio, atque ſubſtantiarum diſſolutio.

VII. Aſſatio fit à calore externo, mediante aëre.

VIII. Debilis calor non perfectè aſſat: vehemens adurit.

IX.

IX. Elixationi reſpóndet coctio in animalibus.

X. Hæc fit ab innato calore mẽbrorum còctioni ſeruientium.

XI. Is ſi imbecillis fuerit, imperfectè cóquit, & crudos humores gignit: ſi immoderatus, alimentũ quaſi aſſat, & per ſe, bilioſos humores, per accidens verò, atram bilem génerat.

XII. Hinc ſanguis in medio crudorum, bilioſorumque eſſe à Galeno ſcribitur.

DE NITRO.

DISPVTATIO. LI.

I. Nitrum etſi varios ſapores habet, tamen inter omnes manifeſtã præ ſe fert acrimoniam.

II. Habet igitur vim calefaciendi corpora, nec refrigerat, niſi fortè ex accidenti.

III. Omnia enim acria calidę ſunt temperaturæ.

IIII. Nihilominus tamen rectè dici vulgò opinor, in puluere bõbardico propter contrarietatem nitri & ſulfuris tanto impetu globos expelli.

V. Idque Phyſicè verum eſt potiùs,

tiùs, quàm Medicè. Aliter namq; Phyſici, quàm Medici de rerum temperamentis loquuntur.

vi Eſt fortaſſe & ſubſtantiarum quædam in illis contrarietas, quæ ignem ferre non poteſt.

vii. Cauſſa συνεκτικὴ, expulſionis globorum è bombardis, eſt vapor craſſus & violentus, accenſi pulueris bombardis erumpẽs, & globum tanquam obſtaculum ſimul expellens.

viii. Cauſſa προηγουμένη, eſt puluis bombardinus nondum incenſus, ſed ad flãmam concipiendam idoneus.

ix. Cauſſa προκαταρκτικὴ, eſt ignis externus admot⁹ pulueri: Hęc mouet internam, interna mota fit globi eiàculatio.

x. Non videtur veriſimile puluerem poſſe parari, qui globum à bombarda eijciat ſine ſonitu.

xi. Non enim puluis, ſed eruptio globi ſoni cauſſa eſt.

DE DOCTRINIS, DISPVTATIO LII.

i. Duplex eſt ratio docendi, Ordinata, & inordinata.

ii. Inordinata, quando promiſcuè præcepta traduntur, quemadmodum in Ethicis ſunt parænes ſes ad Demonicum, Sententię Salomonis: in Phyſicis Problemata Ariſtotelis & Aphrodiſæi: in Medicina Aphoriſmi Hippocratis, Damaſceni.
iii. Ordinata, cùm certo ordine res docentur. Eſt autem ordo, apta & iuſta rerum à principio ad finem, medijs probè cohærentibus diſpoſitio.
iiii. Hæc in docendo doctrina, à quibuſdam Methodus dicitur, ac longè priori anteferenda eſt.
v. Tres autẽ ſunt doctrinæ Galeno auctore, quæ ordine conſtant: nempe compoſitiua, reſolutiua, definitiua.
vi. Compoſitio, eſt à principijs, & ſimpliciſſimis rebus ad compoſita & finem artis progreſſus.
vii. Reſolutio cõtrà, eſt à fine ad principiũ certo ordine regreſſio.
viii. Definitiua doctrina in definitionis diſſolutione & explicatione conſiſtit.
ix. Dupliciter autem docetur compendioſè, vel κατὰ διέξοδον.

x. Com-

x. Compendioſè, cùm ſolùm capita & præcipui loci breuiſſimè deliniantur, qui docendi modus εισαγωγικὸς, & elementaris appellatur.

xi. Hic etiamſi non ſufficiat ad perfectam doctrinam comparandam diſcentibus, tamen neceſſarius & maximè idoneus eſt.

xii. Alter modus eſt, quando artes integrè & perfectè traduntur. Hæc forma διεξοδικὴ vocatur, quæ ſola artifices facit.

[illegible]A DE CAVSSIS *[illegible]ongitudinis, & breuitatis vitæ & mortis.*

DISPVTATIO LIIII.

i. Vita animantium in calidi & humidi apta proportione cõſiſtit.

ii. Calor tanquam opifex quidã & gubernator vitę eſt: humor verò pabulum caloris, ceu oleum flamæ.

iii. Cùm hęc non pugnãt, quod Galenus ſcribit, maximè humidos maximè longæuos eſſe.

iiii. Intelligit enim humidum bene temperatum, & proportionatum ad calorem.

v. Nam diſtemperatus humor, nec conueniens nutrimentum eſt, nec vitam prorogare poteſt.

vi. Talis eſt diſpoſitio corporum, quæ Græci εὐσάρκα, Latini quadrata vocant, quæ media inter obeſa & gracilia ſunt.

vii. Exiguus calor & humor diu durare, & vitam in multos annos producere non poſſunt.

viii. Id vult Hippocrates dum ſcribit. Qui natura admodũ craſſi ſunt, citiùs intereunt, quàm graciles.

ix. Parum enim ſanguinis ſpirituum habent.

x. Sunt igitur cauſſæ internæ viuacitatis, copia natiui caloris & humoris: paucitas verò vtriuſque vitam abbreuiat, defectus finit.

xi. Huiuſmodi finis mors naturalis vocatur.

xii. Externæ cauſſæ longitudinis vitæ ſunt, quæ calidum & humidum fouent atque conſeruant.

xiii. Sicut vſus tempeſtiuus & moderatus rerum ad vitam neceſſariarum, quas Hippocrates ferè omnes quaſi faſciculo hac ſententia cõplexus eſt. Labor, cibus, po-

ctus, ſomnus, Ven⁹, oîa mediocria.

XIIII. Abuſus autem dictarum rerum vitæ ſpatium contrahit, & mortem accelerat.

XV. Mors ergo fit vel deficiente bono humido, vel alieno præualēte, atq; ſuffocante natiuum.

XVI. Aut oppreſſione caloris, vel reſolutione.

XVII. Opprimitur calor, copia vel vitio interni humoris, ſiue alimentorum abundantia.

XVIII. Reſoluitur & euaneſcit, deficiente idoneo pabulo, ſicut in ſenib⁹: vel per calorem extraneū, ſicut in febribus.

XIX. Item propter dolores vehementes animi aut corporis.

XX. Sunt quędam res natura ſua inimicæ vitæ, vt venena: quæ pariter vtrumque principium corrumpunt.

XXI. Mors verò vndecunque fiat, corruptio natiui caloris, ab Ariſtotele rectè definitur.

DE ANIMA,

DISPVTATIO LIIII.

I. Nulla definitio animæ omni ſpeciei conuenire, ſiue generalis

lis eſſe videtur.

II. Neq; igitur Ariſtotelis, neq; vllius alterius Philoſophi definitio, ad omnẽ animam quadrat.

III. Animę definitio apud Ariſtotelem, plantarum & brutorum eſt, non hominum.

IIII. Hominis enim anima ſiue rationalis non eſt ἐντελέχεια, aut forma corporis.

V. Nam non cum corpore ſimul corrumpitur.

VI. Nec eſt temperamentum, aut aliquid comitans illud, eadem ratione.

VII. Sed eſt ſubſtantia incorporea, ſeparabilis à corpore & incorruptibilis.

VIII. Vtrunque exprimit vulgaris definitio hominis.

IX. Rectè igitur definitur, homo eſſe animal rationale.

X. Hæc definitio duplicẽ ſubſtantiam continet: corpoream, & incorpoream.

XI. De anima plantarum & brutorum magis Ariſtotelis ſententiam, ſi ἐντελέχειαν formam intellexit, probamus, quàm Galeni aut Andronici.

XII. Etſi autem humanus intellectus per ſe non ſatis quid ſit anima hominis intelligit, habet tamẽ quaſdã probabiles rationes, quibus colligit eſſe quiddam ſeparabile à corporibus, & durabile.

XIII. Non dubium enim eſt, qui in cauſſa maximarũ & perpetuarum rerum, vt artium ſit præſtantior ſuis effectibus.

XIIII. Si igitur artes durabiles ſunt, multò magis cauſſæ earum durabiles & immortales eſſe videntur.

XV. An hominis anima ex traduce fiat, non ineptè à quibuſdam dubitatur, & ab ingenioſis in vtramque partem diſputari poteſt.

XVI. Videntur tamen, qui ex traduce eam fieri opinantur, reliquis melius ſentire.

FINIS.

Typographus Lectori S.

Viſum eſt nobis, candide Lector, ne aliquot pagellæ vacarent, vt doctiſſimi Galeni de Paruæ pilæ exercitio libellũ propter argumenti ſimilitudinem ſubiungeremus: corporis enim ſanitatem, & animæ virtutem, aliaq; cõmoda plurima hoc genus exercitij homini ſuppeditat. Vale.

CL. GALENI DE PARVAE PIlæ exercitio. Iano Cornario Medico Phyſico Interprete.

QVAM commoda ſint ad ſanitatē exercitia ô Epigenes, & quod ipſa cibis præire oportet, à veteribus tum Philoſophis, tum Medicis ſatis proditũ eſt. Quàm verò ea quæ per pilam paruam fiũt, reliquis pręſtent, hoc nondũ quiſquã ex priorib⁹ ſufficiẽter explicauit. Quare iuſtũ eſt vt nos ea quæ nouimus tradamus. Tuũ verò iudiciũ ſubibimus, vt quem omniũ optimè in ipſorum arte exercitatum eſſe ſcimus. At verò quod ſatis eſt dici, hæc etiam illis vtilia fore videbuntur, quibus tu hunc libellum impertiri dignatus fueris. Equidem ſentio optima omnium eſſe exercitia, quæ non modo cor-

pus exercere, verùm etiam animū oblectare poſſunt. Et qui ſanè eam quæ cum canibus fit, itemque reliquam venationem inuenerunt, & voluptate ac oblectatione & ambitione, laborem in ipſis temperauerunt, ſapientes quidam viri & humanæ naturæ peritiſſimi fuerunt. Adeò enim potens res eſt, in ipſa animā mouere, vt multi iam ex ſola lætitia à morbis liberati ſint, & multi viciſſim ex triſtitia morbis correpti. Non eſt autem vlla ita fortis corporis affectio vt animę affectiones ſuperet. Proinde neque huius motus negligere oportet, quales tandem futuri ſunt, imò magis quàm corporis motuum, curam illorum gerere, quum ob alias cauſſas, tum quanto præſtátior eſt anima quàm corpus. Atque hoc quidem commune eſt omnium exercitiorum quæ cum oblectatione fiunt.

II. Verum ſunt alia peculiaria exercitiorum per pilam paruam, quæ ego nunc exponam. Primùm quidem facilitas. Si itaque conſideraueris, quanto apparatu ſimulque ocio opus habent, tum

alia omnia venationis ſtudia, tum idquod cum canibus exercetur, palàm cognoſces; quod neque quiſquam qui in Reipub. negotijs verſatur, neque aliquis ex his qui artes exercent, aut huiuſmodi exercitia aggredi poteſt. Nam & multis hæc opus habent, & hominem largum ocium agētem requirunt. Hoc verò ſolum exercitiū adeò omnibus hominibus expoſitum eſt, vt neque egētiſſimus ipſius apparatu deſtituatur. Non enim retibus, non armis, nō equis, non canibus venatorijs opus eſt, ſed ſola pila, atque ea parua. Adeò verò erga alias actiones candore inſigni prędit um eſt, vt nullā ipſarū nos negligere ſua cauſſa cogat. Et quidnam expeditius eſſe poſſit, eò quòd & omnem humanā fortunam & actionē admittit? Etenim exercitiorum venationis vſus facilitas, in nobis non eſt. diuitijs enim opus habet inſtrumentorum apparatum ſuppeditantibus, & largo ocio temporis oportunitatem obſeruante. At huius inſtrumentorum apparatus, etiā egētiſſimis velut dictū eſt, facilis eſt: &

vſus opportunitas etiam multũ oc-
cupatos expectat. Et facilitatis qui
dem ipſius tanta commoditas eſt.

III. Quòd verò aliorum omniũ
ſufficiétiſſimum ac perfectiſſimũ
hoc ſit exercitiũ, ſic maximè aſſe-
qui poteris, ſi conſideraueris quid
vnũquodq; ipſorũ poſſit, & quale
natura exiſtit. Comperies enim
aut vehemens, aut molle: aut
ſupernas partes magis, aut infer-
nas moués: aut partem aliquã præ
alijs, velut lumbos, aut caput, aut
manus, aut pect⁹. Quod verò om-
nes corporis partes ex æquo mo-
ueat, & vehementiſſimè intendi,
& molliſſimè remitti poſſit, aliud
nullũ eſt; verũ hoc ſolũ per paruã
pilam exercitiũ, quod & cócitatiſ-
ſimè ex parte fit, & tardiſſimè: &
vehemétiſſimè & leniſſimè: prout
ipſe volueris, & corp⁹ tolerare vi-
detur. Sic verò etiã partes omnes
ſimul mouere, ipſius eſt, ſi hoc có-
ferre viſum fuerit: itemq; alias præ
alijs ſi & hoc aliquando facere li-
buerit. Quum enim oppoſiti cóſi-
ſtétes, & eũ qui in medio verſatur
pilã ſubripere prohibentes, ſe ex-
ercent, maximũ hoc & vehemen-

tiſſimũ eſt exercitiũ; multis colli cõtactibus, multisq; luctatorijs apprehẽſionibus permiſtũ: vt caput quidẽ & ceruix, per colli cõtactus exerceatur: latera verò & pect⁹ ac venter, per humerorũ eleuationes ac depreſſiones, & per depulſiones ac obnixus, & alias luctatorias aggreſſiones. Hoc verò exercitio etiam lũbi vehementer tendũtur, & crurũ greſſus huiuſmodi labore firmãtur. Sed & progredi, & ad obliqua tranſilire, non exiguũ eſt crurũ exercitium. Imò reuera hoc ſolũ iuſtiſſimũ eſt, quod omnes ipſorũ partes mouet. Nam & accedẽtibus, & ſubcedentibus, alij nerui ac muſculi amplius exercentur. Ita etiam his qui ad obliqua ſe transferunt, alij. At qui iuxta vnam mot⁹ ſpeciem crura mouet: quemadmodum hi qui temerariè currunt: hic ſanè inæqualiter partes mouet. Quin & velut cruribus, ita & manibus hoc exercitiũ iuſtiſſimũ eſt, dũ in omni figura pilam prehendere aſſueſcunt. Neceſſe eſt enim figurarũ varietatem hic aliàs alios atque alios muſculos vehementiùs tendere, ita vt omnes ex parte

laborantes; æqualem habeant requiem cum his qui, quo tempore alij operantur, quieſcunt: atque hoc modo omnes ex parte operantes ac viciſſim quieſcentes, neque omnino ocioſi maneât, neq; laſſitudine corripiâtur, ſi ſoli laborêt.

IIII. Quòd verò etiam oculos exercere oporteat, hinc diſcere datur; ſi in memoriam reuocauerimus, quod niſi quis pilæ momentum quo feratur diligenter præuideat, neceſſe eſt vt ab eius prehenſione aberret. In hoc autem animaduerſionem vt habeat curæ parem opus eſt, vt ne pilam deijciat, & in medio verſantem prohibeat, aut vt ipſe illam ſubripiat, ſi forte in medio conſiſtat. Cæterum cura ſola quidem attenuat, verum exercitio alicui ac ambitioni miſta, vbi in voluptatem deſijt; & corpori ad ſanitatem, & animæ ad prudētiam, plurimum conducit. Non exiguum autem eſt & hoc cōmodum; quum exercitiū ambobus, & corpori & animæ, ad propriam vtriuſque virtutem conferre poteſt. Quòd autem vtrūq; exercere poſſit maximis exercitijs, quæ vel

in primis leges, vrbium videlicet reges, exercituum Duces exercere iubent, non eſt difficile iudicatu. Inſidias enim ſtruere, & interim latere & res agendas celeriter aggredi, & hoſtium res intercipere, aut vi, aut occultis inſidijs ſtructis, & parta tueri, bonorum Ducũ opera ſunt. Et vt in ſumma dicam, & cuſtodem & prædonem inſigné eſſe oportet exercitus ducem: atq; hæc ſunt totius artis ipſius ſumma ac caput. Nunquid igitur eſt aliud exercitium, quod ita præaſſuefacere poſſit, aut partum ſeruare, aut ablatum reparare, aut hoſtiũ cõſilia præſentire? Mirum profectò mihi videatur, ſi quis habeat quod dicat. Pleraq; enim ex ipſis cõtrariũ omnino faciũt. Nam pigros & ſomnolentos ac mente tardos efficiunt. Etenim qui in paleſtra ſe exercent, ad carnoſitatem magis q̃ ad virtutis exercitationẽ ferũtur. Multi itaq; adeò craſſefacti ſunt, vt difficulter reſpirarint. Et neque tales idonei ſunt vt belli duces fiant, aut regiorũ, aut ciuilium negociorum præfecti. Citius quis ſuibus quàm his quamcunq;

rem commiſerit. fortaſſis autem putabis me curſum laudare, ac reliqua quæ corpus attenuant exercitia? Verùm non ita res ſe habet. Immodeſtiam enim ego vbique vitupero; & omnem artē mediocritatem exercere oportere ſentio. Et ſi quid modo caret, hoc non eſſe bonum. Proinde neque curſus laudo, eò quòd habitū attenuent, & quod nullam virtutis exercitationem habent. Non enim eorum qui velociter fugiunt victoria eſt, ſed eorū qui cominus vincere poſſunt. Neque ideo Lacedæmoniorum potentia magna fuit, quod velociſſimè currerent, ſed quod manētes, hoſtes trucidarēt. Quod ſi ad ſanitatis rationem expenderis, quatenus corporis partes inæqualiter exercet, eatenus neque ſalubris exiſtit. Neceſſe eſt enim hoc modo alias nimium exerceri, alias omnino ocioſas eſſe. Neutrū autē horum bonum eſt: ſed ambo & morborum ſemina nutriunt, & vires debiles faciunt.

v. Maximè igitur laudo id exercitium, quod & corporis ſanitatē ſuppeditat, & partium concinnitatem,

tatem, & ad hæc animæ virtutem. Hoc autem eſt paruæ pilæ exercitium. Nam & animæ ad omnia prodeſſe poteſt, & corporis partes omnes maxime æqualiter exercet, id quod etiam præcipuè ad ſanitatem conducit, & habitus ęqualitatem efficit, neque immodicam carnoſitatem, neque excedentem gracilitatem inducens. Sed & ad actiones robore indigentes commodũ, & ad eas quæ volocitate opus habẽt, idoneũ. Sic igitur quantũ in ipſo eſt vehementiæ, id nulla ex parte vlli ex omnibus inferius eſt. De lenitate vero rurſus videam⁹. Aliquando enim & hac opus habemus, tum ob ætatem, quæ aut nondum fortes labores, aut non amplius ferre poteſt: tum ob languorem inſuper, vbi ex eo iuuari volumus, aut dum ex morbis reconualeſcimus. Videtur autẽ mihi & in hoc alia omnia ſuperare. Non enim ita lene eſt, ſi leniter ipſum tractes. Oportet autem medium tũc tenere, & ipſo vti nullo facto ab æqualitatis congruentia diſceſſu, ita vt partim ſenſim progrediaris, partim in loco maneas, neque multũ

exercearis. Et poſtea frictionibus mollibus ex oleo, & lauacris calidis vtaris. Hoc equidē omniū exercitiorū leniſſimū eſt, vt & his qui quiete opus habent cōmodiſſimū ſit, & vires debiles potentiſſime reuocare poſſit, & ſeni & puero vtiliſſimum ſit.

VI. Quęcūque vero hoc quidē fortiora, verū ſumma vehementia leniora, par paruam pilam fiūt, ea itidē cognoſcere oportet eū qui ſē per recte ipſa tractare velit. Etenim ſi quando per neceſſaria opera, qualia multa ſæpè nobis occurrunt, immodice laboraueris, aut ſupernis partibus, aut infernis ōnibus, aut manibus ſolis, aut pedibus: poteris per hoc exercitium eas quidē quæ prius fatigatæ fuerūt, reficere: eas vero quę prius penitus ocioſæ māſerunt, ad æqualem cum illis moctū perducere. Nam per multū ſpatiū pilam conſtanter mittere, ita vt nihil, aut omnino parum, cruribus vtaris infernas quidem partes reficit, ſupernas autem vehementius mouet. At vero diutius & velociter currere per multum ſpatium, & pilæ iactu raro inſuper vti,

infernas partes magis exercet. Et feſtinatio quidẽ ac velocitas in hoc ipſo exercitio, citra fortẽ cõtẽtionẽ, ſpiritum magis exercet. Alterũ vero ſtudiũ, quod in apprehenſionibus, & iactibus ac exceptionibus conſiſtit, nõ tamen velox eſt, corpus magis intendit ac corroborat. Si vero cõtẽtio & feſtinatio ſimul coniuncta fuerit, hoc exercitium & corpus, & ſpiritum, magnopere exercebit, & omnium vehementiſſimum erit. Porrò quantum pro ſingulis neceſſitatibus, augere hoc & remittere oportet, id fieri nõ poteſt vt quis in literas mittat. Nam quantitatis in ſingulis modus explicari nequit: Verum in ipſis operibus fieri poteſt, vt quis & inueniat, & demonſtret: in quo ſanè etiã maxime tota vis conſiſtit. Neq; enim qualitas vtilis eſt, ſi quantitate corrumpatur. Hoc itaque pædotribæ dimittatur curandum, vbi exercitia demonſtrare volet.

VII. Quod vero dicẽdũ reſtat, id adijciatur. Neq; enim omittere volo interea bona, propter quæ hoc exercitiũ tractandũ eſſe dixi, quod etiã extra pericula ſit, quibus pleraque

raq; alia obnoxia ſũt. Curſus equĩdem veloces multos iam corrupe-rũt, vaſe alicuius momẽti rupto. Iſta & vociferatiões magnæ ſimulque vehemẽtes, vno tempore acer-uatim emiſſæ, maximorũ malorũ cauſſa nõ paucis fuerunt. Et equitationes cõcitatę, ſæpè aliquã circa renes partem ruperunt, aut circa pectus læſerunt: quãdoque etiã ſeminarios meatus: vt ne dicã de ipſis equorũ delictis, per quæ ſæpè equites ſella excuſſi, ſtatim perierunt. Sic vero etiam ſaltus, & diſcus, & exercitia per flexiones fientia ſe habent. At eos qui in palæſtra verſã-tur quid dicere attinet, quomodo omnibus partibus mutili ſint, nõ minus quã Homericæ Litæ? Quẽadmodũ enim illas poëta dicit. Et claudas, et rugoſas, et lumine lęſas.

Sic in palæſtra verſantes videas, aut claudos, aut diſtortos, aut fractos, aut omnino parte aliqua mutilatos. Quũ igitur præter hæc bona quæ reſenſui, etiam hoc inſuper exercitijs per pilam paruam adſit, vt neque periculum adeant, omnium profecto optime fuerint ad vtilitatem comparata.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ...

INDEX PRAECIPVA RVM RERVM, QVAE in hiſce libellis continentur.

A.

Abſinthium 68.a
Accidētia quomodo corrigenda ſint quæ exercitia ſequuntur 23.a
Acetum 68.b
Actiones 42.b
Aër 46.b
Aeſtas 7.b
Aetates 10.b
Affectus 119.b
Affectus animi 50.b
Alimenta 46.b
Alimenta in genere 55.b
Allium 68.b
Alui profluuij, & cruditatis curatio 24.a
Amicitia 122.a
Amygdala 69.a
Amilum 61.a
Anetum 69.a
Anima 133.b
Animæ potentiæ 98.a
Aniſum 69.a
Aqua 65.b
Artemiſia 69.a
Aſplenum 69.b
Aſſatio 66.b
Atra bilis 97.a
Atræ bilis ſigna 54.a
Auena 61.a
Autumnus 8.a

Bal

BAlneum 12.b
Beta 69.b Betonica 69.b
Bilis abundantis notæ 54.a
Bonum quid 12.a.125.a
Braſſica 69.b
Butyrum 60.a
Cæpe 70.a
Carnes in genere 56.b
Caro agnina 57.b
Caro anſerina 57.b
Caro anatina 58.a
Caro Bubula 58.a
Caro Capreolorum 58.a
Caro caprina 58.a
Caro ceruorum 58.a
Caro columbina 58.a
Caro gallinacea 58.b
Caro gruina 58.b
Caro hædina 58.b
Caro Leporina 58.b. Caro ouilla 59.a
Caro pauonum 59.a
Caro phaſianorum 59.a
Caro perdicum 59.a
Caro porcina 59.a
Caro vitulina 59.b
Cappares 70.a
Caricæ 63.a Carum 70.a
Caryophylla 69.b
Caryophyllata 70.a
Caryophylli flores. 70.a
Caſeus 60.a
Caſtaneæ 62.b
Cataclyſma 13.b

Cataclyſmatum gene.& mater. 16.a
Centaurium 70.a
Ceraſa 79.b
Cereuiſia 66.a
Cereuiſiæ natura & facultates 109.b
Chære folium 64.b
Chaos 87.a
Cibus & potus 47.b
Cibi compoſiti 67.b
Cibi crapula & quantitas 112.b
Ciborum conditio 67.b
Ciborum preparatio 66.b
Cicer 62.a
Cinnamomum 70.b
Compendium quid 129.b
Coctiones 42.b
Concluſion de nat. humana 90.b
Concluſiones quædā generales 28.a
Concoctiones 100.a.130.b
Condimēta aliment.& aromat. 68.a
Conualeſcentes 54.b
Corpora craſſa quomodo extenuanda 13.b
Corporum habitus 9.a
Corporis humani natura, ſiue ſtructura 37.b
Corpora neutra 51.a Crocus 70.b
Cruditatis ob frigiditatē curat. 25.a
Cucumeres 71.a cucurbita 62.b
Curioſitas 123.a Cydonia 63.a
Cyminum 70.b
Dialectica 86.b
Dialectica 127.a

Doctrina quid 131.b
Doctrinam de victus ratione neceſſariam. 104.b
EBrietas 113.a
Ebrietatis præſeruat. & curatio 114.a.115.b.116.b.
Educatio recta. 94.b
Elementa 89.a
Elementa & qualitates 38.a
Elementa & qualitates elementorũ 88.b
Elixatio 66.b
Eruca 64.b
Excretiones 50.a
Excrementa,& excretiones 43.a
Exercitia 11.a
Exercitia iuxta anni partes 22.b
Exercitium & quies 118.b
FAbæ 62.b facultates 41.b
Fames & ſitis 99.a
Ficus 63.a Frixio 67.a
Fructus 62.b Frumentacea 61.a
Fungi 65.b
GRacilium vomitus 18.a
Grammatica 85.b
HElenium 71.a
Hiems 4.a Hordeum 61.a
Humores 40.b.96.a
Humores vitioſi 51.b
Hyſſopus 71.a
Iuniperi 71.a
LAc 60.a

Lactuca 71.a
Lauendula 71.b
Legumina 62.a
Lentes 62.b
Limónes 71.a

Macis 71.b
Mala 63.a
Mala citrea 63.b
Maltia 65.a
Mel 60.b
Meliſſa 71.b
Membra 41.b.97.a
Menta. 71.a Meſpila 63.b
Motum cauſſæ 93.b
Motus & quies 49.a
Mulſa 66.a. 111.a
Maſa prunica 63.b
Mundus 87.b
Napi 65.a
Naſturtium 72.a
Neutralitas quid 126.b
Nitrum 131.a
Nuces 63.b
Nux aromatica 72.a
Obedientia & leges 120.b
Olera 64.b
Oleum 72.a
Oliuæ 72.a Olyra 61.a
Ordo. 127.b Oryza 61.a
Oua. 59.b
Palmulæ 72.b
Panes 61.b
Papa-

Papauer 72.a
Paruæ pilæ exercitium 135.a
Paſtinaca 65.a
Perſica 64.a
Perſpicuitas quid 128.b
Petroſelinum 72.b
Philoſophia 84.b
Phyſices & medic. diſcrimē 92.b
Pineæ 64.a
Pinguedo 60.b
Piper 72.b
Pira 64.a
Piſa 62.b
Piſces 59.b
Pituitæ abundantis notæ 53.b
Porrum 72.b
Potionem ſumendi modus 17.b
Potus 65.b
Pruna paſſa 64.b
Pulſus 43.b
Radices 56.a
Rapa 65.a
Raphanus 72.b
Res ad ſanitat. tutelam neceſſariæ 45.b
Reſpiratio 43.b Roſæ 73.a
Roſmarinus 73.a
Saccharum 73.a
Sal 73.a
Saluia 73.a
Sanguinis abundantis notæ 53.b
Senſus exteriores 101.a
Serum 60.a Sexus 21.b

Signa futuri morbi 52.a
Siliqua 64.a
Sinapi 73.b
Sitis ex caliditate immoderatæ curatio 25.b
Spinachia 65.a
Spiritus 44.a. 101.b
Somnus & vigilia 48.a.117.b
Studiorum finis 84.a

TEmperatura calida & frigida 10.b
Temperamenta & gradus eorum 92.a
Temperatura 39.a
Tenſionis viſcerum, lienis & hepatis curatio 26.a
Themata aliquot 35.a
Themata continentia diſcrimina & notas medicorum genuinorum, & ſpuriorum &c. 75.b
Toſtio 67.a
Triticum 61.a
Tubera 65.b
VEr 8.b
Veſtes 12.a
Victus quantitas 10.b
Vitæ & mortis breuitat. & longitud. cauſſæ 103.a.132.b
Victus Infantium 20.a
Victus Senum 55.a
Vinum 66.a
Virtutes 120.a

Vomendum quoties 18.b
Vomitus quando mouendus 16.b
Vomitus & Catacly ſma 13.b
Vomitus quibus mouendus, quibus non 19.a
Vrtica 65.a
Vuæ 73.b
Vuæ paſſæ 73.b
Zingiber 73.b

FINIS.

